

De hydrope ascite, disputationem inauguralem / summitit Joannes Jacobi.

Contributors

Jacobi, Johann.
Rolfinck, Werner, 1599-1673.

Publication/Creation

[Jena] : Literis Samuelis Krebsii, Anno 1662.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gedyjbv9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

27
CYN ΤΩ ΤΗΣ ΥΓΕΙΑΣ ΠΑΤΡΙ

ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙ

DE

HYDROPE ASCITE,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

decreto & autoritate,

Amplissimi Medicorum in illustri Salana Collegii,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DN.

GUERNERO ROLFINCIO,

Philosoph. & Medic. Doct. longè celeberrimo,

Pract. & Chim. P. P. famigeratissimo,

*Dn. Præceptore ac Patrono suo omni ob-
servantiâ prosequendo,*

PRO LICENTIA

summos in arte medica honores & privile-
gia Doctoralia ritè consequendi,

Publico & solemnî examini summittit

IOANNES JACOBI BRUNOVICENSIS.

In Auditorio Majori

ad d. Junij

J E N Æ,

Literis SAMUELIS KREBSII,

ANNO M DC LXII.

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Genere, Pietate
Autoritate, magnis in Remp. meritis, Prudentia
& rerum usu eminentissimis,*

DOMINIS

CONSULIBUS

SYNDICIS

CAMERARIIS

SENATORIBUS

DECEMVIRIS

INCLYTÆ REIPUBLICÆ

BRUNOVICENSIS

DOMINIS MECOENATIBUS ET PATRIBUS

reverenter ac devotè

debita animi submissione & observantiâ colendis,

S. P. D.

&

hanc inauguralem suam *Agtesclw*

in

sui suorumque studiorum ulterio-
rem commendationem

submisè offert,

D. D. D.

AUTOR.

Deò verum est illud

AEURIPIDIS in *Phœnissis*: ἀναγ-
ναιώς ἐχὼ πατρίδ' & ἐρᾶν ἀπαντας, neces-
se est, patriam ut cuncti ament, ut
ex eo tempore, quo in Academiis vixi, miro quo-
dam desiderio significandi meum in dulcissimum
natale solum ejusque **RECTORES** amorem,
observantiam & pietatem, flagrantem me sense-
rim. At quàm lubens pium hunc, & debitum
in terram natalitiam affectum in apricum pone-
re, quàm jugi memoriâ & devotâ mente erga
VOS, PROCERES, PATRIÆ PATRES, hono-
ris & observantiæ cultum declarare studui: tam
semper mea teneritas nihil dignum **VESTRA**
AUTORITATE ET EMINENTIA promere
posse est visa, sed huc usque in pectoris penetrali-
bus coërcitus delituit hujus meæ voluntatis fer-
vor. Nunc verò tandem vi erumpens hanc scin-
tillam excutit.

Suscipite, **VIRI MAGNIFICI**, hoc quale-
cunque est meæ in Patriam pietatis, in **VOS** ob-
servantiæ argumentum: manum aliquando &
oculos hisce pagellis admovere, ubi gravissimæ
rerum gerendarum curæ paulisper diffugiunt, ne
dedignamini, meque simul **VESTRA** benevo-
lentiâ,

lentiâ, quâ nihil apud me potest esse antiquius;
prosequimini.

Ego Deum Opt. Max. ex animo precor, ut
PATRIAM URBEM ab omni infelici occurſu
defendat, VOS corpore incolumes, confilio va-
lentes, regimine felices diu ſuſtineat, vota que
VESTRÂ omnia cumulatiſſimè impleat.

Dabam Jenæ Menſe Majo Anno
cld lcc LXII.

V. V. Magnif. Nobiliſſ.
Conſult. ac Prudentiſſ. Amplitud.

obſervantiſſimæ

Joannes Jacobi.

PRO.

I
PROOEMIUM.

Quantas utilitates immensum illud
ac vastum globum terrestrem ambiens
mare adferat macrocosmo, hujus plenif-
sima est magna illa tabula, quam in publi-
co hoc mundi theatro publicè suspendit,
spectandamque oculis offert Experientia. Tribus: per
hoc vectis ditat populos, & quibus hæc non est instructa
opibus regio, eas alio sub sole calentes subministrant:
nam

*India mittit ebur, mittunt sua thura Sabæi,
atque Lybes frumenta ferunt, Campanus Jaccbum,
Attis mel, Phoenix palmas, Lacedæmon olivum.*

Hæc verò & alia quamplurima certè in loco suo mane-
rent natali, nisi innumera sua brachia longis exporrige-
ret Amphitrites terrarum marginibus. Mediantibus
his, qui tantis erant divisi districtibus, alternis muneribus
invicem vinciuntur, India & ultima Thule ferè sociali se
amant foedere.

Non minores microcosmi Oceanus, massa sangui-
nea, affert utilitates. Hic vivificum nectareumque pos-
sidet succum, quo sitientia & jugiter effluentia membra
irrigare queat, ut in omnibus vitæ muniis rite obeundis
debitam præstare possint operam. Hunc thesaurum au-
tem non rarò vel in ipsa regia, Corde, vel in portubus re-

2
tentum & hærentem quereremur, nisi rivulos satis multos huc illuc per omnes ac singulas microcosmi regiones spargeret, quibus vitalem illam omnibus advehat visceribus ambrosiam.

Dux Venetus singulis annis die Ascensionis Christi magno Procerum stipatus comitatu, unà cum Sapientibus & primariis Senatoribus navem (Il Bocentoro dicitur) scandens, & ad maris ostium delatus, annulum aureum in medias undas projicit, eo munusculo mare in manum sibi convenire, justæ sponsæ loco, veteri ritu declarat, teste *Guid. Pancirollo tit. 56. part. 1. rerum memorab.* & *Andr. Scoto in itinerario Italia p. 15.* Quivis me hercules microcosmico mari ejusque fluminibus suas singulis diebus & horis offerat opes, modò digna ipsi rependi possint præmia.

Quantasquantas autem secum ferat mare Megalocosmi utilitates, tantas etiam sæpissime ciet turbas, dum nimium exæstuat seseque effundit, ita ut per omnes se volvens campos agros sternat, arvo concredita semina eluat, domos, vicos rapiat, sylvas evertat, nonnunquam latentes

*maneant presse sub gurgite vasto
arces, templa Deum, turritaque culmina & urbes.*

Microcosmi flumina sæpissime etiam vel nimio incandescencia æstu faciunt, ut membra arentia conficiantur, febriculæ ipsi Regiæ microcosmicæ insidias & noxam struentes oriantur, spirituum animalium officina vacillet, vitalium labascant, genitalium emoriatur; vel abundantia & se exonerantia, unde inter alia quamplurima non semel

*varia species hydropis aquosi
queis membra aut totum suffusa corpus ab undâ
intumuit,* & cœu

& ceu à diluvio, quo primi ævi homines periēre, aquis
falsis ceu marinis immerguntur & suffocantur.

Hoc ultimum undæ microcosmicæ damnum, *judicio Dureti annot. in 39. cap. Hollerii de morb. intern.* omnium
calamitosissimum symptoma, quod & causæ magnitudi-
ne, & symptomatum vehementia, & curandi difficultate,
penè est insanabile, loco inauguralis disputationis, jussu
& consensu gratiosissimæ Facultatis Medicæ propone-
mus, ejusque Διγνώσιν, πρὸ γνῶσιν & ἰασιν quantum nostræ
permittent vires paucis his seqq. pagellis tractabimus. Δεῖ
ἢ τὸ ὀρθῶς ταῦτα χειρίζοντα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν θείων ἀρχεῶν.
Eum qui ista probe tractare volet, primum quidem à divino
Numine initium sumere oportet, scribit Hipp. περὶ γυναικείης
Φύσεως p. m. 583. Quare

Annue sancta Trias, mentemque actumque gubernas ;
Ut Tua queratur gloria, nostra salus.

CAPUT I

continet ὀνομαζομένα.

HYDROPS VOX est ἐκ τῶν πολλὰ χῶς λεγομένων.
Hippocr. l. de nat. pueri p. m. 248. pro serosâ illâ &
mucosâ profluvie, quam parturientes cum fœtu
per uterum secernunt, accipit. Recensito nam-
que modo exitûs fœtûs ex utero addit: μὲν ἢ ταῦτα ὑδρωψ
ἔρχεται αἱματώδης, post hæc exit humor cruentus. lib. 4. de morb.
p. m. 498. unus è quatuor humoribus sanguineæ massæ eidem
vocatur ὑδρωψ: αὗται ἢ αἱ ἰδέαι (ὕγρῃ ἐν τῷ σώματι) εἰσὶ,
Φλέγμα, αἷμα, χολή καὶ ὑδρωψ.

Medicis aliis autem denotat corporis humani affectum,
aspectabilem scil. tumorem ab aquâ vel flatibus proveni-
entem.

GENERALITER omnem in quavis corporis parte
præternaturalem aquæ abundantiam indicare potest, ut
quando

quando IN CAPITE sub cute fluctuans tactumque sub-
 terfugiens, at mox refluens recurrensque humor deprehen-
 ditur, quem peculiari nomine vocant ὑδρηνέφαλον, de quo
 vid. Paul. Aeginet. l. 6. c. 3. & Marc. Aur. Severin. de recond. ab-
 scess. nat. p. m. 183. Vel in aliâ corporis parte; sic in puero
 quodam scholastico observatus est HYDROPS PULMO-
 NIS à Carol. Pisone l. de morb. ex serosa colluv. obs. 51. Eodem &
 Maximilianum Imperatorem interiisse testis est Job. Crato
 epist. 163. à Laur. Scholzio edit. THORACIS, Carol. Pifo l. c. p.
 m. 215. & seqq. PECTORIS, à suppresso menstruo fluxu,
 Chiffletio teste. Sic Job. Bapt. Montanus consil. 189. p. m. 194.
 puellam hydropicam in GUTTURE tantum, ut tumor lon-
 gissime dependeret, per incisionem curavit. Alium Venetiis
 in ponte Rivi alti elemosynam petentem hydropicum tan-
 tum in BRACHIO idem l. c. observavit; qui adeò disten-
 tam habebat Manum, ut facile æquaret manicas ad terram
 usque demissas. Et Sennertus l. 2. pr. part. 1. c. ult. in fine testa-
 tur, se vidisse semel atque iterum, & idem annotasse alios, to-
 to corpore salvo MANUM tantum intumuisse tumore aquo-
 so pertinacissimo. In PERICARDIO, MESENTERIO, LI-
 ENIBUS, RENIBUS, TESTIBUS MULIERUM simile quid ob-
 servatum fuisse testatur Andr. Casalpin. l. 7. catopter. medic. c. 23.
 VENTRICULI. River. obs. communis. p. 26. UTERI, SCROTI,
 Hipp. l. 1. morb. mul. 37. & 4. de morb. t. 34. & Bartholin. cent. 3. hist.
 anat. 64. Idem hic Hydropem PEDUM non abdominis in ar-
 chitectonicæ militaris Magistro annotavit cent. 2. b. 37.

Verum talis aquæ collectio nullibi simpliciter Hydrops
 vocatur, sed semper ὑδρὶς μερική cum appositione partis il-
 lius cui inhæret, effertur.

SPECIALITER tumor abdominis vel totius corporis
 aquosus vel flatulentus dicitur ὑδρωψ, quasi ὑδρὶς καὶ ὤψ
 aquosa facies. ab ὑδρὶς aqua & ὤψ facies: quod iis, qui hoc
 afficiuntur affectu, faciei floridus & vividus color, τῆς χεράς
 & ζωνὴν ἀνθρώπου, in aquosum, cadaverosum, luridum ac fœ-
 dum mutatur. Alias Græci vocant ὑδρώπιν, quod Gentilis

ex Prisciano interpretatur Aquosa passio, ὑδρεῖν, ὑδρωλικόν καὶ ὅ, item teste Coo l. 1. de intern. aff. & l. 1. de vict. rat. per synchdochen ὑδωρ. Apud Latinos partim remansere appellationes græcæ, & vocatur *Hydrops*. Celsi l. 3. de re med. c. 21. *Hydropicus morbus*; partim latinè magis effertur, & dicitur *Aqua inter cutem*, *Aqua intercus*, vel absolutè *Intercus*: non quod in omni specie aqua μετὰ τὴν σαρκοῦ καὶ δέρματος inter carnem & cutem contineatur, sed infra partes cutaneas. Hac hydropis specie laborantem vocat Hipp. l. 1. de morb. t. 47. ὑφὺδρον SUBAQUOSUM. Quod Sereno dicitur *Lymphaticus error*. Germani vocant die *Wassersucht*. Hæc nomina omnia desumpta sunt ab accidente, cum aquosus humor hanc passionem perpetuò comitetur, ut ait Cælius Aurelianus l. 3. c. 8.

Paracelsus p. 549. vocat *Rorem humidum seu Resolutum liquorem*, ad differentiam aquæ simplicis usualis, tom. 4. tr. 4. item (novitatis forsitan studio) *Undemiam*, ab undâ. p. 1029. vocat den *Wolckenbruch*.

STRICTE sic dicti Hydropis tres ponunt, Gal. l. rat. vict. in acut. comm. 110. Aëtius l. 3. c. 20. & alii, differentias: alium appellant *TYMPANITIDEM*, qui Hipp. *Hydrops siccus* dicitur, alium *LEUCOPHLEGMATIAM* seu *Anasarcam*, alium *ASCITEM*. Prioribus missis ultimam, de qua magis propriè dicitur nomen ὑδρωψ quàm de cæteris, (cæteræ enim species tantum per hujus similitudinem nomen habent, ut loquitur Jachinus in 9. Rhas. cap. 2.) tractabimus. Proponimus itaque ejus in

CAPITE II

Περγυματολογία
seu

Definitionem realem, ejusque formalem rationem.

ASCITES est collectio feri in abdomine præternaturalis: five est tumor aquosus abdominis, nonnunquam & scroti & crurum simul, cum cibi fastidio & siti inexstinguibili, difficili respiratione, tussi sicca, pulsu parvo, faciei totiusque corporis lurido colore, urinâ paucâ & nonnunquam rubrâ, à viscerum sanguinis coctioni & depurationi destinatorum imbecillitate, & vasorum lymphaticorum culpâ dependens.

DEFINITUM est Ascites. Græcum est vocabulum dictum ἀπὸ τῆς αἰσῆς ab utre, quod teste Cool. i. de morb. mul. αλυδᾶ-
ζεται τὸ ὕδωρ ὡς ἐν αἰσῇ, in illâ venter aquoso humore refertur
utrem aquâ plenam representet, Gal. 4. aph. ii: vel percussus in
morem utris aquâ semipleni resonet, secundum Valleriol. l. 2.
obs. 5: ac si sonaret Coac Coac Coac, addit Gordonius lib. med.
p. 287. Unde & Utricularis appellatur, Chalmet. Enchirid. chir-
urg. c. 41. & Jachin. in l. 9. Rhasis comm. cap. 52. Hinc Gal. 2.
meth. 2. Hydropem inter morbos, qui ab externæ alicujus
rei similitudine nomen acceperunt, retulit. Idem etiam ὑδρ-
εγγὺς ὕδατῶδες Hydropem aquosum nominat. Minus rectè
Mercurialis l. 6. c. 16. var. lect. ex Plauto & Festo probare co-
natur Latinis dici Veternum.

GENUS constituimus ὄγκον ὡς ἀφ' οὗ φύσιν præternaturam
incrementum seu tumorem. Si humores in toto corpore non re-
dundent, sed in parte unâ quâpiam collecti fuerint, tumores præter-
naturam corporibus ipsis moliuntur. Ita Gal. l. de Plethora. Tri-
plicem sic inferre videtur morbum 1. Intemperiei cum ma-
teria, teste Gal. de diff. morb. c. 5. & 13. item l. de caus. morb. c. 6. &
l. de inequ. temp. c. 3. & 9. 2. Magnitudinis auctæ l. de morb. c. 16.
& Gal. 14. M. M. c. 13. 3. soluta unitatis l. de diff. morb. c. 7. & alibi
apud Galenum.

Cum autem tumorum differentiarum potissimum sint
duæ: alii enim proveniunt à partibus decumbentibus, ut si
intestinum descendat & delabatur in scrotum, quem tumo-
rem vocant ἐντεροκήλην seu Herniam intestinalem: vel si omen-
um, ut in ἐπιπλοκήλη: alii ab influentibus humoribus,
sanguine,

sanguine, bile, pituita, melancholia, sero: meritò in definitione addidimus, quod sit TUMOR AQUOSUS. Materia illa aquosa propellitur in cavitatem abdominis, & ita sui præsentia replet cavitatem adeò, ut abdomen augeatur & attollatur. *Quando serosus humor in toto corpore abundat, præcipuè verò in abdomine, excitatur species Hydropis, quæ Ascites dicitur, scribit. Gal. l. 3. de sympt. caus. c. 2.* Hydropem quidem à sanguine in religioso quodam ad Spiritum sanctum factum asserit *Hercules Saxonia l. 3. præct. c. 22.* Verùm rectè *Sennertus l. 3. part. 6. sect. 2. c. 3. q. 1. censet*: Tumorem quidem ventris fuisse ex sanguine per venam aliquam effuso ortum, sed non hydropem, qui, ut nomen indicat, tumor est ab aqua ortum habens: patereque tumorem ventris latius, quàm hydropem. Aquosus autem humor est hic non semper ratione substantiæ & coloris, sed ut plurimum: interdum enim adeò crassius est, ut non tantùm lactis substantiam repræsenteret, verùm etiam superet, colorem lactis pariter repræsens. Talem materiam nonnunquam excretam vidit *P. Salius Diversus l. 1. in Hipp de morb. f. 1. t. 47.* in moniali diu hoc morbo detentâ, factâ solutione morbi per lotium, quod substantiâ & colore lac æmulabatur, & quotidie copiosum excernebatur. Citrina nonnunquam est aqua, unde das gelbe Wasser vocant. Nos relicta ratione formali explorabimus in

CAPITE III

SUBJECTUM.

AD AEQUATUM seu causæ continentis proximæ SUBJECTUM est, *secundùm Arabes*, inter zirbû & Siphac intrinsecum, seu inter peritonæum & omentû. *Galenus*, quem sequitur *Paulus Aegineta in introd.: c. 13.* locum collectionis inter intestina & peritonæum nominat. *Hip. 7. aph. 55.* alium locum videlicet τὸ ἐπιπλῆν omentum ipsum notavit.

Quæcunque tandem sit cavitas, ubicunque collecta est aquosa materia in abdomine, tumor hujus oritur, qui eò

major erit, si tota cavitas usque ad septum transversum sit impleta, tunc etiam ex eo tanquam scaturigine per spatia subcutanea in partes decliviores, scrotū & crura, quasi cuniculis factis defluit, similemque illicò tumore parit. ἡσι μὲν ἢ τε κοιλίῃ καὶ τὰ σκέλεα πλήθει ὕδατος. ἡσι δὲ θάτερον τῶν. Nonnullis venter & crura aqua replentur, quibusdam horum alterum, scribit *Cous l. 1. de morb. mul. p. m. 613.* Accidit tamen, scribit *Senn. pract. l. 3. part. 6. s. 2. c. 3. p. m. 709.* ut interdum aqua non in cavitate abdominis, sed vesicis quibusdam, partibus ventris inferioris intus adnatis, includatur. Inter membranam renum externam, notatum à *Nobilissimo, Excellentissimo & Experientissimo Dn. Praeceptore, Patrono & Promotore meo, Dn. Job. Theod. Schenkio in exercit. anat. p. 497.* Recenset *Sennertus d. l. historiam mulieris hydropicæ ex Mauritio Cordæo comm. 5. in lib. 1. de mulier. morb.* in cujus cadavere eviscerato nulla cavitas, in quâ non pendeat vesica loco illi exactè æqualis & conformis, qui suo ambitu ipsam contineret. Quas vesicas si quis universas in numerum redegisset, 800. numero superassent. Non absimilem historiam recenset *Schenkius l. 3. obs. Vid. & hist. 25. cent. 4. Bartholini.*

DE SUBJECTO causæ antecedentis, vel quænam pars sit, cujus vitio serosus hic humor generatus coacervatur, & in cavitatem imi ventris depluit, gravis & difficilis inter medicinarum Proceres est controversia.

Hipp. l. 1. de morb. mul. ὁππότεν δὲ τὸ ὕδρωψ αἰεὶ, ἐπὶ μάλιστα ὁ σπλῆν ἐλκεῖν εἰς ἐαυτὸν φύσῃ ἀραιὸς ὢν καὶ μαλὸς Ex eo semper hydrops subsequitur, ubi lien naturâ rarus & laxus ad sese trahere consueverit. Et 2. prognost. t. 1. δεχέον οἱ πλείστοι ὕδρωπες δὲ τῶν κενεῶνων καὶ τῆς ὀσφύος, οἱ δὲ δὲ τὸ ἥπατος Incipiunt plurimi hydropes ex partibus inanibus ac lumbis, jecoreque. Ubi ad vocem κενεῶνων in expositione Christoph. à Vega p. m. 1006. addit: Hæc eadem sunt quæ apud Gal. in comm. appellantur τὰ λαγύνη 1. flaccidæ partes. Quemadm. Homerus iliad. ε :

βέβληται κενεῶνα Διαιμπερές.

Appellat

Appellat autem *Homerus* eo nomine partes, quas zona cingit, quemadmodum *l. c.* seipsum explicat :

νείατο ἐς κενεῶνα. ὅτι ζωνύσκετο μίτρω
ad extremum ventrem quâ parte cingebat baltheum. Locum
zonæ cingentis il. λ. de scribit :

Ἰφιδάμας δὲ καὶ ζώνῃ θώρηκα ἐνεσθεν
juxta zonam sub thorace.

Sunt ergo partes flaccidæ aut inanes juxta zonam sub thorace, quæcunque inter extremam thoracis costam & fœmoris ossa habentur : *omnis enim illa sedes videtur inanis, si cum supernis infernisque partibus conferes scribit Gal. in comm.*

Hoc ipso constat, non unum viscus, e. g. jecur aut aliud in spatiis illis inanibus, Hippocratem accusasse, sed omnia ibidem loci latitantia.

Galenus comm. ad l. c. Hipp; Communis Hydropis ortus inde exstat, quod officium in sanguine generando positum vitatur. Quanquam verò Gal. officinam αἱματώσεως epati non assignare videatur, dum l. 2. de foet form. c. 3. in epate non magnum adeò esse calorem naturalem, sed tantum teporem, & l. 5. de loc. aff. c. 1. læso corde actionem epatis quoque lædi scribit; tamen 6. de placit. Hipp. & Plat. præcipuum ac primarium sanguificationis esse ὄργανον novem probare conatur argumentis, quâ superstruit hanc assertionem, dum epar ejus facultatis, quæ sanguinem gignit, instrumentum est, consequens est, ut vitiato hoc viscere actio quoque ejus vitietur. Et sic epate læso s. debilitato & refrigerato non posse nisi frigidum & aquosum sanguinem generari, qui in abdomine coacervetur, hoc intumescat & Ascites pronascatur. Hinc 5. de loc. aff. cap. 7. nisi hepar afficiatur, haut quaquam fieri potest hujusmodi affectus hydrops. it. 6. c. 1. nisi ad jecur frigus mittatur, aqua inter cutem sequi potest minime. Nullum itaque Hydropem absque jecoris vitio, consensu, & conspiratione oriri posse judicat.

Pro hac sententiâ tanquam pro aris & focis plerique tum veterum, tum recentiorum pugnarunt. *Gordonius in lil.*

medic. p. 286 : quia hepar fuit debile in generando & segregando, ideo modò plus est debile in expellendo ad exteriora, sed facit quod potest, ideò convertitur ista materia in vaporem, & per porositates & foramina resudat, usque ad pelliculas continentes intestina, quæ siphac & mirach appellantur, tunc ibidem includuntur, aggregantur & causant tumorem ventris in tantum, quod intestina balneantur in illis.

Nos verò ab eâ dum recedimus, meminimus illius *Coi. l. 4. de morb. p. m. 514. ἀνάγκη ὅτι πρὸς τὰ ἰσχυρῶς δοκέοντα, τὰ πολλὰ ἰσθρία ἐπάγεται, εἰ μέλλῃ τὸν ἀκρόντα ἐκ τῆς πρὶν γνώμης μετατρέψαι τοῖς ἐωϋτὰ τε λόγοισι πείσειν. Necesse est eum, qui velit auditorem à pristina sententia deducere, suisque verbis fidem facere, ad ea quæ firmiter in opinione hærent, multa argumenta adferre.* Falsa itaque nititur ὑποθέσις. Hepatis quippe in sanguificatione usus, qui hætenus eruditorum animis firmissimè radicans stetit, hodiè ruinam est perpeßus. Et enim si nullus chylus ad epar fertur, ut solidè demonstratum est à *Pecqueto, Job. van Horne & aliis*, nulla quoque ibidem sanguificatio poterit institui. Et jure merito ἀδεσείας nos subjicimus legibus, in nova inventâ veritate acquiescimus, & infelicem cordis tot seculorum decursu suâ dignitate spoliati fortem deploramus, idem in integrum restituimus, totumque αἱματώσεως monarchicum ei decernimus, idemque ei in manus tradimus imperium. Falsitatem etiam satis manifestè indicant testimonia *Excell. Medicorum*, qui αὐτόπται in demortuis hydropicis apertis nullum in epateprehendère vitium. Vide sis *Schenk. l. 3. obs. 13. ad 17. Maurit. Cordæum comm. 5. in lib. 1. Hipp. de mulier. morb. Helmont. tr. ignotus Hydrops. Riverium obs. communic. p. m. 55.*

At licet cordi in αἱματώσεως opere ὑπερεξέσσια καὶ παρὰ βασιλεία *magistralis supereminetia & potestas regia* contigerit; tamen pro principali & unico causæ antecedentis subjecto id non proclamamus, sed reliqua etiam viscera, quæ sanguinis depurationi & clarificationi à providâ matre naturâ præfixita sunt. Sequitur

CAPUT IV,

quod ostendit

CAUSAM IMMEDIATAM.

Οἱ ἰητροὶ ἀμαρτάνουσιν ὅτε ἀτρεκέως πρωτανόμοιοι τὰς
 πρὸς φασιν τῆς νόσου, falluntur Medici, cum morbi causam non
 exactè investigant, scribit Hipp. l. i. de morb. mul. p. m. 613. is etenim
 quàm rectissimè curat, quem prima origo causæ non fefellit,
 adeoque ad ipsum medendi officium pertinet ipsas causas
 omnium affectuum, quoad licet, investigando penetrare.
 Ergo & ἡc ἡ ἀνερωτῶν αὐτὴν ἀτρεκέως τὸ αἴτιον confestim
 exactè causa pervestiganda est.

Causam hujus collectionis aquarum in abdomine fla-
 tuimus VISCERUM SANGVIFICATIONI ET DEPU-
 RATIONI INSERVIENTIUM, CUM PRIMIS RENUM AT-
 TRACTRICIS FACULTATIS IMBECILLITATEM, LYM-
 PHATICORUMQUE CULPAM.

Sanguini, ut alimentis, inest aquæ elementum, quo di-
 luitur, hoc verò cum in substantiam partium non cadit,
 necessariò debet separari in coctione: hujus enim beneficio,
 quicquid in alimentis est fereum & separatur & perficitur, cum
 certum sit, nullam ἀφίεσιν neque κένωσιν fieri posse, nisi
 præcedat πέψις, Gal. 4. aph. hypomnem. 22. Scilicet: chylus
 ex lacteis pervenit ad subclavias, ex his in dextrum cordis
 ventriculum, ex hoc tenuior pars statim per septum, crassior
 autem per venam arteriosam ad pulmones, hinc per
 arteriam venosam in sinistrum ventriculum, ubi in san-
 guinem mutatur. Hic sanguis, ob parvam in corde
 moram non potest fieri omnibus numeris absolutus &
 perfectissimus, sed quasdam continet particulas, quæ
 in ipso per venas & arterias, item viscera jecur, lienem,
 pancreas, renes, transcurso ulterius elaborantur, donec
 demum crebrâ sic peractâ percolatione & secretionem, cre-
 broque

broque per cor cursu perficiatur. In Jecur itaque perveni-
 ens talis sanguis percolatur, simul, teste Bartholino, serum co-
 pioſo Ele volatili præditum coquitur, adque vafa ſic dicta
 lymphatica amandatur, quæ vel ob tenuitatem tunicæ à co-
 pia, vel ejuſdem liquoris acrimonia, vel incumbenſibus gra-
 vioribus rumpuntur, aquamque in cavitates vicinas abdo-
 minis effundunt; vel hydatides ſeu veſicas aquâ plenâ he-
 pati annatas (ſæpe pugni magnitudine majores ſunt in-
 ventæ) efficiunt, quæ ruptæ aquam in abdomen profundunt,
 tumoremque generant utricularem. *vid. Fern. l. 6. de part.*
morb. & ſymptom. c. 8. & Senn. l. 3. præſt.

LIEN, cujus uſus eſt ſanguinem terreſtriorem copioſo
 ſero dilutum per arteriæ ramulum peculiarem ſupra cœlia-
 cam ortum è corde adductum ulterius coquere, perficere ac
 diſponere, ut feces in locis convenientibus ſeparari queant,
 huic malo anſam dat: nam actione tali læſâ tartareæ ſalinæ-
 que ſcoriæ ad renes delatæ propter debilem attractricem ſe-
 parari nequeunt. Tartarus enim & ſalia volatilia acida,
 ſcribit Nobiliſſimus, Excellentiſſimus, & Experientiſſimus Dn. D.
 Mæbius, Dn. Præceptor, Promotor & Patronus meus plur. devene-
 randus in fundam. *Phyſiolog.* quorum in omnibus corporibus
 proventus ſat largus, videntur præter cordis coctionem
 peculiarem in liene deſiderare, quâ denegatâ remanent in
 ſanguine confuſa, nec commode in renibus ſecerni queunt,
 unde non debent non in abdomen refluere, ibique reſiſtere.
 Mutuam namq; omnes partes tradunt in microcoſmo ope-
 ram, & læſâ unâ facilè læditur altera & in conſenſum trahi-
 tur. Veſicam aquâ plenâ duorum pugnorum magnitu-
 dine ſub liene Volcherus Coiter, multas tales Platerus & alii
 obſervarunt. In hydrope porrò lapidoſum omninò lie-
 nem vidit, P. Foreſtus,

Hipp. l. de off. nat. t. 8. Renes quicquid inutilis ſeroſi &
 falſi eſt in vaſis, id per arterias tranſmiſſum ad ſe ſeparant à
 ſanguine, deſtillando per carunculas in pelvim, & hinc per
 ureteres demittendo in veſicam. Scilicet ut ſerum ad renes
 per-

perveniat, necesse est de vehi cum sanguine per cor in aortam, atque inde per arterias (ab officio, quod serum q̄s. per eas emulgeatur dictas) emulgentes ad renes ducitur, in quorum substantiæ singulas diffunditur partes, & sic per παρένχυμα percolatum, servatâ sanguinis parte pro nutritione privatâ, parte per venas remissa, in cavitatem emandatur. Accedit & hoc, quod renibus à natura concessæ sint venæ lacteæ, per quas chylus aquosior statim ad renes possit abire, ut ulterius ibi concoquatur, eâque concoctione serum segregetur. Hinc *Gal. l. 3. de sympt. caus. c. 2*: Ubi renes aut venæ trahere non possunt serum, in ventrem mittunt & toti id corpori impartientes subcutaneos hydropis status inducunt. RENIBUS ergo morbo officiali affectis serum in vasis subsistit, inque abdomen stillat.

Licet autem viscera reliqua suo funguntur officio, tamen nihilominus excitatur Ascites vitio URINAE DUCTORUM seu URETERUM. Horum quippe usus est serum in renibus à sanguine sequestratum & in pelvi exceptum ducere ad vesicam in cisternam. Obstructis hisce aquæ ductibus regurgitat & restagnat urina; à calculo transeunte aspero dissecis, urina confertim effluit: unde non potest non sequi cavitatis abdominis impletio, atque ὡς ἀπὸ φύσιν ὄγκου ὑδατῶδης.

Paracelsus variis in locis variè de hydropisi ejusque causâ sentit: Tom. 7. l. 7. scribit: So ist in gutem wissen/dasß im Menschen ein Brunn auffsteiget / von dem Wasser gehet so viel / das nicht gläublich ist denen / die es nicht gesehen haben / gleich als hätte Moyses mit einer Ruthen in die Leber geschlagen/ und laufft nichts heraus als Wasser für und für / (als vielleicht nicht wol anders seyn mag / dann dasß Gott also ein Ruthen schlägt / wie Moyses) tr. de Hydrop. & de ¶ l. 2. tr. 2. c. 6. Causam hydropis statuit ① aluminosum resolutum i. ab influentiâ interni cœli hominis. 2. à propria natura ② lis. 3. à victu immoderato. 4. ab aliis morbis.

Severinus, Scheunemannus & alii accusant itidem Θ resolutum.

Hos refutat *Helmontius tr. Hydrops ignotus* : Puerile est, inquiens, somnium, quod Θ in nobis destilletur, sublimetur, calcinetur, circuletur, aliaque subeat tormina.

Ipsæ suam *c. l.* profert sententiam esse hydropem omnem à solo renum Archæo, fermento ex causâ occasionali intrâ se concepto, & quidem à venenatâ quâdam qualitate anodynâ, quæ archæum renum immemorem reddidit sui officii.

Verum enim verò his non novam rem, sed nova saltem verba afferunt. Rem ipsam penitiùs quis inspiciens certus erit, ex Θ le partium corporis humani resoluta haut fieri hydropem, sed à seroso excrementitio humore *p. n.* in abdomine cumulado nec debito modo excreto, *vid. Senn. l. 3. cons. & diffens. c. 16. p. m. 293.*

CAPUT V

pandit

Causas mediatas.

PROXIMIORES IN & REMOTIORES has distinguunt.

Inter illas occurrit **I. INTEMPERIES**. Qualis verò ea sit, lis est etiam inter autores : *Quidam*, inter quos *Avicenna & Aëtius*, omnem à frigidâ oriri intemperie volunt : *quidam* contrâ à calidâ mordicùs defendunt. Quin & de passivis qualitatibus litigant, dum alii siccam, alii humidam accusant. *Nos*, ne horum argumentis & ratiociniis paginam impleamus, cum *Jacobo Zwingero cent. 2. obs à Fabr. Hildano edit.* non magni momenti controversiam hanc judicamus, cum utrumque causæ vicem obtinere queat, & diverso respectu tum à frigidâ introduci possit *Ascites* causâ, tum à calidâ. Ab hac quidem per accidens, antecedenter & mediâtè, calorem nimirum viscerum exterminando, non secùs ac videmus ignem ab alio majori igne exstingui ; ab illâ verò per se & immediâtè refrigerando.

II. MALA CONFORMATIO viscerum, ut cum meatus seu viæ, per quas serea & aquea materia ex uno loco in alium transire debet, vel Διαίρεσιν, vel Διαπήδησιν, vel ἀναστόμωσιν, vel ἐμφραξιν, vel στενοχωρίαν, vel θλίψιν passæ suo nequeant fungi officio, secundum obtinet locum. *Alex. Massar. l. 3. prax. c. 16.* citat Avicennam, qui statuit, parvitatem jecoris hydropis quoque causam esse posse.

III. UNITAS sive per τραύμα vulnus, sive per ῥήγμα rupturem, sive per ἑλκῶς ulcerus soluta, claudit agmen.

Remotiores usitatâ concinnâ methodo statuimus

I. NATURALES & I. quidem TEMPERAMENTUM, Qui sunt temperamenti frigidi & humidi, proni magis sunt in Ascitem. Quò quis calidior, eò minùs aqueæ humiditatis colligitur segregaturque; frigore verò invalescente, aquarum largissimi rivi manant in hydropicis, scribit *Bartholinus in spicileg. de vas. lymph. p. 6.* Non solùm autem Totius, sed præcipuè Renum temperamentum tale: defectus quippe adipis in his impedit, quo minus renes Διακρίνειν possint καὶ πέπτειν. 2. ÆTAS. Ἀσκήτης ζυῶν ἡλικίης πάσης, omni ætati est communis ascites. Acerbâ hydropis illuvie correptû, vixdum vitam, nedum non lucē expertû, puellum vidit *Marcus Aurel. Severinus. vid. ejusdem l. 4. de recond. abscess. naturâ c. 36. p. m. 266.* 3. SEXUS. Veteres & recentiores ferè omnes viros magis, quàm fœminas hoc diluvio affligi affirmant: *Mercurialis* verò muliebrem sexum magis obnoxium esse huic malo innuit. ἐστὶ δὲ ζυῶν πάντων ἀνδρῶν, γυναικῶν, recte *Aretæus l. 2. de diuturn. c. 1.*

II. NON NATURALES inter primum occupat locum AËR. ὃ ἀδυνάτον μὴ πλησιάζειν, cujus evitandi nulla est ratio. Falsum est quod scribit *Petrus Paulus Pereda in Paschal. method. cur.* aërem nunquam posse facere ad hydropis generationem, eò quod non possit ad epar penetrare, illudque refrigerare: nam hic ceu μέγιστον ἐν ᾧ πασι συμπτωμάτων δυνάτης teste *Hipp. περὶ Φυσῶν*, si sit frigidus, crassius, turbidus, pluviosus, multâque exhalatione humescens, à stagnantium

aquarum halitibus infectus, poros cutis occludit, corpus pituitâ & multis impuritatibus cumulat. Calidus etiam si fuerit, humores dissolvendo & liquando, causa esse poterit. **VERNUM** tempus, cum corpus excrementitiis humoribus plenum deprehendit, per accidens inducit hydropem, generatos humores variè agitando & commovendo. Cum primis ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης, ὅτε μὲν θάλπει, ὅτε ἢ ψύχει γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νησήματα πρὸςδέχεσθαι χρὴ, quando eodem die modò calor, modò frigus sit, autumnales morbos expectare convenit scribit Hipp. 4. aph. f. 3. Et f. c. 22. inter τὰ φθινοπώρην recenset & ὕδρωπας. In cujus genesi Luna, mater humorum dicta, dominium habet, is obnoxius est affectibus phlegmaticis.

2. **CIBUS & POTUS** copiâ producit hydropem juxta aph. 17. f. 2: ὅκῃ ἂν τροφὴ πλεονέχῃ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τὸ νῆσον ποιεῖ. Et l. 1. de morb. mul. ἡ τροφὴ καὶ πόμα πάλυ αἰτίνη φθορῆς **cibus & potus copiosior corruptionis causa**: copiâ enim ciborum impeditur ζύμωσις καὶ πνευμάτωσις, ventriculus obruitur, fermentum vitale supprimitur & calidum innatum exstinguitur. Non minùs id præstat *qualitate*: nimius scilicet usus frigidorum & humidorum, ut lactucæ, portulacæ, betæ, atriplicis (quam olim à Pythagorâ, quod hydropem facere putabatur, damnatam fuisse testis est Plin. 20. n. b. 20.) cucurbitarum, fructuumque omnium ὡρεσίῳν facilè putrescentium. Peculiariter ficus virides & poma multa, item multarû uvarû esum, immodicû vini passî, mustive usum aquam inter cutem inducere scribit Polybus l. 2. de aff. corp. c. 24. p. m. 149. Refert Diog. Laërt. Heraclitum cum in montibus vitam duceret, in hydropem incidisse ob usum olerû, eoque interiisse. **MEDICAMENTORUM** etiâ nimis refrigerantiû usus nimius huc pertinet. **AROMATUM** calidorum, vini generosi, spiritus vini usus nimius mater hydropis sæpe est. **AQUÆ** vel **CEREVISIÆ** glacie, vel in puteis, refrigeratæ, ante cibum aut post motum validum, vel etiam balneum, æstuante adhuc corpore, larga & avida ingurgitatio, sobolem relinquit ascitem. vide Gal. 6. de loc.

loc. aff. c. 1. Et 2. de facult. nat. c. 8. Bibentibus palustres stabiles & lacustres aquas hydropes fiunt plurimi ac lethalissimi, oraculum est divini Coi de aëre aq. & loc. c. 3.

3. MOTUS & QUIES. Utrumque limites excedens malum. κίνησις, inquit Hipp. 4. aph. 14. τὰ σώματα ταράσσῃ motus turbat corpora. Et l. 4. de morb. pag. 64. ed. Foef: ταλαιπωρεόντων τῶν ἀνθρώπων τὸ σῶμα θερμαίνεται hominum laborantium corpus incallescit, hinc exhausto & absumpto subtiliore sanguinis parte imbecillia redduntur viscera. Maximè noxius autem est post assumptum cibum institutus: sic enim partes impuræ, inutiles ac tartareæ ab utilibus & puris probè separari nequeunt, & chylus feculentus & impurus ad partes secundæ coctioni inservientia, ubi non corrigitur peccatum primæ, pellitur, sanguisque crudus, àque tartareis non mundatus partibus, relinquitur. Quies, si immodica, cruditatem & excrementorum est mater, caloremque innatum obtundit & opprimit.

4. SOMNUS & VIGILIAE. Ἀμφοτέρω τὸ μετρίῳ μᾶλλον γρόμῳ, κακόν. utraque modum & hinc excedentia, malum. 2. aph. 3. A vigiliis spiritus solvuntur, calor nativus debilitatur, corporisque vires labefactantur. Somnus cumulat humores, calorem corporis hebetiorem atque spiritus torpidos reddit.

5. EXCRETA & RETENTA. Si, retineri quæ debent in corpore, excernantur præter modum, hydrops accidit. Sic Hip. 6. epid. sect. 4. t. II. ex sanguinis proflaviis aqua subcutanea. Profluvia hæc variis possunt accidere modis. Ex naribus quid frequentius? Constat ex observationibus medicis sanguinem è naribus ad lb̄ X, XII, XVIII, cuidam spacio quinque dierum ad lb̄ XXX & ultra, teste Amato Lusitano, instaurato semper sanguine & viribus reparatis, exhibitione cibi boni succi, profluxisse. Nimia per hæmorrhoides evacuatio. Gal. 2. de facult. nat. c. 8. ex immodicâ profusione hæmorrhoidum, hominem ad extremam frigiditatem ducente, non semel aut bis, sed sæpe aquam inter cutem collectam vidit. Immodica menstrua purgatio sæpe hydropem accersit,

hinc Hipp. 5. aph. 57: καὶ μάλιστα γινόμενων πλειόνων νόσοι. Συμ-
 είνεσι menstruis abundantibus morbi eveniunt. Gal. in comment.
 intelligit morbos totius corporis, ad quos etiam Vallesius in
 comm. rectè retulit Hydropem. Nec ratione caret: talibus
 quippe immodicis profluviiis vitalis calor affatim & multum
 dissipatur, & spiritus exhauriuntur. Larga V. S. etiam à mul-
 tis hinc acciatur. Aliæ etiam immodicæ evacuationes huc
 faciunt, ut *Dysenteria*: in hac enim, pravorum humorum
 transitu, intestina labefactantur & cum vires ipsorum, tum
 calidi innati συμετρεῖα in vasis & visceribus pereunt, & inde
 hydrops. Huc pertinent & ὑπερεκβάσεις & nimia Venus.
 Contra etiam, ubi excernenda remanent in corpore, idem in-
 quinant & suffocando vel exstinguendo calorē viscerum af-
 ficiunt: Totum enim corpus ἐκπνέον καὶ εἰσπνέον. Transpira-
 tio hæc prohibita mater, ut aliorum morborum, ita & hy-
 dropis esse potest. Hæmorrhagia narium & venarum ani
 consueta, si supprimatur in plethoricis, κίνδυνος ὕδρωπι
 ὁππότε periculum aquæ inter cutem impendit, adserente Coo 6,
 aph. 12. Trajanum Imperatorem ex hæmorrhoidum reten-
 tione hydropicum factum semelque curatum, revertente au-
 tem morbo mortuum refert Dion Cassius. Mensium suppres-
 sionem hydropis esse causam, assignavit Hipp. 6. epid. s. 1. t. 6.
 γυναικεία τῆσιν ὕδαταινέσθην ὅππολιν ὁδωμένη. ὅταν δὲ μὴ
 ταχὺ ᾖ, ἐποιδέει Menstruæ purgationes aquosis mulieribus longo
 tempore perseverant. quod si non celeriter prodeunt, tumoribus con-
 ficiantur, id est, ut explicat Franc. Vallesius in comm. hydropicæ
 fiunt. Vid. Gal. 2. de facult. nat. c. 8. item l. de venæs. adv. Era-
 sistr. c. 6. in fine; item l. 6. epid. s. 5, comm. 29.

6. ANIMI denique παθήματα ἀμετρεῖα, præsertim ira,
 tristitia, mœror occasionem præbent: horum enim immo-
 deratione calor & spiritus dissipantur & emarcescunt.

III. PRAETER NATURALES. Asthma, Phthisis, hec-
 tica teste Hollerio de morb. intern. p. m. 372. Causus, Hipp. 7. epid.
 Scirrhus lienis, icterus, Rondeletius l. 2. prax. c. de hydrope.
 Scissura hepatis, Paracelsus. Hydatides hepatis superficiem

mem-

membranofam invadentes hydropifios rudimenta nonnunquam funt. Tabes nephritica praefertim in neogamis: Vultus, per quod calculus erat extractus non benè consolidatum, *Sebiz. spec. medic. p. m. 1264.*

CAPUT VI

Differentias monstrat.

Differentiae petuntur I. ab ipso **GENERE**. Alius tumor est minor, alius mediocris, alius major. Maximus erat in duobus Rabbinis, de quibus *Michaël Neander in erotem. Sanctae linguae hebraeae p. 482. ex Talmudistis* refert: Rabbi Eliazer & Rabbi Ismael habebant ventres ita grossos, quod quando stabant pedes facie ad faciem, ita ut ventribus tangerentur, poterant duo boves transire inter eos, neminem tangendo &c. Verum ut de omni Talmudica seu potius Talemanica doctrina Judaeorum, ita de hac, iusta est censura *authoris citati pag. 478.* pleraque fabulosa esse, scelestia etiam, tetra ac turpia auditu, horrenda & formidanda. Alius sensim ac lente incrementum sumit, alius subito extollitur atque exsurgit; alius adhuc est in principio, alius in augmento, alius in statu: alius cum FEBRE *Hipp. coac. prae not. 456, Trall. l. 9. c. 3. Aët. tetrab. 3. serm. 2. c. 20. & aliis testibus;* alius sine febre: alius cum PARALYSI, *Poterius cent. 1. cur. 97. Solenand. f. 2. conf. 12;* CATOCHE, *Ballon 2. epid. p. 126. PALPITATIONE CORDIS, Rondelet. meth. cur. morb. l. 2. c. 16, Solenand. conf. 9. l. 3. ASTHMA TE Trincau l. 3. conf. 34. DOLORIBUS intolerabilibus in femore, Schenck:; ICTERO, Faventinus consil. 23. Guarinon. conf. 164. Tulpius l. 2. obs. med. c. 36.* Memorabile est quod scribit *Schenck ex obs. Sigism. Snizeri*, hydropicum admodum tumidum SERPENTEM PER ANUM excrevisse.

II. à **SUBJECTO**. Interdum est *universalis*, totum abdomen occupante serositate; interdum *particularis*, stagnante materia vel inter abdomen & peritonaeum, vel inter peritonaeum & omentum, vel in hydatidibus inclusâ, vel in sinistro

nistro tantum latere, cuius observ. habet *Bartholinus hist. anat. 2. cent. 1.* Interdum per *πρωτοπάθεια* nullo alio præcedente; interdum per *δευτεροπάθεια* prægressis aliis infestat. Interdum oritur per *μετέπτωσιν* cum à quiete prioris morbi nascitur; interdum per *σπληνέσιν*.

III. CAUSARUM pro diversitate variat & ipse morbus.

CAPUT VII

profert

Signa ex fonte diagnostico.

Quemadmodum non leve, sed gravissimum erat olim crimen Signa deferere; alii enim fustuarium merebantur, aliis securibus colla abscissa sunt, alii districtis gladiis sunt discincti, alii virgis cæsi, testantibus *Halicarnasseo & Livio*: ita Medici veri nomine, & cui æger committatur indignus iudicandus est is, qui spretâ & relictâ signorum doctrinâ omnem cujusque tam sani quam ægri hominis cognoscere constitutionem, morborumque curationem instituere se ritè posse jactitabit. Inconcußum enim manet: *ὁ μὲν ἄριστα γνῶς ἄριστα θεραπεύει*, nec rei ignotæ ulla adhiberi potest medela, nullum dari consilium: *ὁρῆς γὰρ θεραπείας πηδάλιον ὅτιν ἡ Διάγνωσις, internotio rectæ curationis est fundamentum.*

GENERIS ratione signa adsunt *ῥσιώδεα, μέγιστα καὶ ῥήϊστα* idēn καὶ *σιγέειν καὶ εἰσακῆσαι*, maxima *ἔν τῷ ὄφθαλμῳ* *ἔν τῷ ἀκούῳ* *ἔν τῷ ἀσπι* *facillima*, teste *Areteol. 2. de diuturn.* quæ etiam ibi recenset plurima. *Trallian. l. 9. c. 2*: *τὸν μὲν Ἀσκήτω Διαγινώσκειν χεῖρ ἔκ τε τῶν κλύδωνας γίνεσθαι, Διὰ τὸ ὡς ἐν ἀσκή τινὶ περικυκλεῖσθαι τὸ περιεχόμενον ὑγρὸν.* *Ascites inde internosci debet, quod fluctuationes excitantur ex humore, qui veluti in utre quodam contentus circumvolvatur.*

Τὸν τῆς ῥσιᾶς λόγον ἐξ ἀνάγκης ἐπόμενα sunt 1. CIBI FASTIDIUM, idque propter renum cum ventriculo consensum. 2. SITIS CLAMOSA inextinguibilis. Hinc rectè cecinit *Naso l. trist. 7.*

quibus

quibus intumuit suffusâ venter ab undâ,
 quo plûs sunt potæ, plûs sitiuntur aquæ.

& Musa Venusini 2. od. 7 :

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
 nec sitim tollit, nisi causa morbi
 fugerit venis, & aquosus albo
 corpore languor.

Oritur autem talis inexplibilis sitis, quia aqua, quam hydropici in se continent, salsa est & nitrosa, & præ morâ retenta, tum calidior tum Mosior redditur, teste Aëtio tetrab. 3. serm. 2. c. 20, unde multi sicci & salsi vapores sursum attolluntur, qui orificium ventriculi, oesophagum & os exsiccant. Huc accedit denegata ob pororum obstructionem ἀδελ. & Ἀγπνοή. 3. DIFFICILIS RESPIRATIO: sæpe tanta, ut suffocationis periculum sentientes, instar orthopneumaticorum respirare cogantur, ob aquæ septi transversif motum liberum impredientis copiam. 4. TUSSIS SICCA. ὅτι πάντες notante Al. Trall. l. 9. c. 2. συweis βάλλουσιν βῆχες, καὶ ἀναπύουσιν ὁδὲν ἄξιον λόγῳ, ἀλλὰ περιθυμῶνται μόνον. tussis magnâ ex parte invadit, ipsique nihil notatu dignum exspuunt, sed irritantur solum. Salinæ enim & nitrosæ acriores exhalationes expultricem pulmonum irritant & vellicant. 5. PULSUS in ascite est parvus, crebrior, subdurus cum quâdam tensione: Ascites enim copiam acervans non modicam secundum ventrem humoris aquosi, unâ secum magnas arterias afficit, ut intendat pariter & gravet refrigeretque. Tendit autem unâ cum aliis, quæ id loci sunt. Gravatur ob pondus. Refrigeratur ob nimiam humiditatem, hinc parvus & crebrior, Galenus l. 4. de caus. puls. c. 24. 6. Inferioribus intumescantibus τὰ ἄνω τὸ σῶμα τὸ λεπτότατον γίνεται Hipp. l. 4. de morb. Quidam adeò extenuantur, ut ATROPHIA videantur confecti, teste Sylvio Lanceano in lib. de hydropc. 7. Quibusdam τὸ πρὸς ὤματι γίνεται FACIES INTUMESCIT, Hipp. l. c. OCULI, Avic. l. 3. fen. 14. tr. 3. c. 8. 8. MANÛS extremitas INFLATA Forest. l. 19. obs. 30. 9. UNGVIUM CONTRACTIO, Hipp. de int. aff.

int. aff. 10. DOLORES in imo ventre & coxis, antequam morbus manifestò se prodatur, *Celsus l. 2. c. 7.* 11. ἀδυναμία τῷ σώματι καὶ μάλιστα τῆς ὀσφύος Hipp. l. 4. de morb. 12. δηγμός ἐς τὸ σῶμα *pruritus in corpore l. de int. aff.* 13. τὸ ἔρπον κατ' ὀλίγον ῥέει, *URINA PAUCA*, quia serum per renes debito modo non percolatur: *RUBRA* interdum, ὕφαιμον ὡσπερ δὲ πρὸ κρεῶν ὕδωρ, ὡς εἴπῃς κρέα αἵματ' ὅδεα δὲ πρὸ πλύνειν: vel quia renes humiditate nimia laxiores redditi serum à sanguine non rite depurant, & sanguis simul transit: vel quia acrior ista materia arrodit carunculas dictas papillares. 14. κοιλία ξηραὶ ποικιλῶδεις ἔρχονται, μὲν περιττήσιος μυζώδεα *alvi resiccata caprinis stercoribus similia dejiciunt cum mucosa eliquatione, Hipp. coac. prænot. 481.* 15. *RAUCEDO* insignis à prima hydropis invasione in illustrissimo Barone Domino *STEINAVVIO* Domino in Hasselt & Seeberg à *Nobilissimo Domino Praside* observata.

Tot hinc ἅμα τὰ ποιεόντά τ' ἡ χαλεπὸν concurrunt.

Ab aliis etiam hydropis speciebus & ventris tumoribus probè distinguenda est ascites.

In *TYMPANITE* flatus abundant, venterque percussus sonum tympani adinstar edit, moles ventris minus gravis, frequenter intestina rugientia murmurant.

In *ANASARCA* totum corpus æqualiter quasi intumescit, vestigium impressi digiti aliquamdiu remanet, venter minimè inflatur, lotia alba ferè & crassa.

A *SUPPRESSIONE MENSIIUM* præter alia etiam urinae fluxu differt. Hac n. quæ laborat, ἔρῃσει τε πολὺ παχύ, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε, *urinam copiosam & crassam subinde reddet. teste Coo l. 1. de morb. mul.*

Cautione maximà opus habet medicus, præsertim in praxi novitius, ne quandoque *TUMOREM PRÆGNANTIS* cum non minimà suæ inscitia suspicione curet pro hydropico, & foetus sic abigatur, ægrota ad interitum deducatur. Versipelles enim quædam ac astutæ solent esse, ut nihil non comminiscantur & aggrediantur, in hisce præsertim casibus,

ubi

ubi ipsarum fama periclitatur & pudicitia. Lepidum hujus
 habet exemplum medicus Parisiensis *Paulus Renealmus ob-*
serv. ex curationibus 146. Puella quædam rustica, scribit, post-
 quam usuram sui corporis permisisset adolescenti quem ar-
 debat, & ex amplexibus fructum, non nesciens, utero fove-
 ret; graviditatem mensium suppressione prætexens; ut famæ
 astutiùs consuleret, immensâ sese ingurgitabat aquæ copiâ,
 tandemque scopum, ad quem collimabat, attigit; effecit
 enim brevi, ut, suffocato penè calore ventriculi, totum corpus
 intumuerit, & hydropis nomine prægnationem dissimulare
 potuerit. Ejus miserta honestissima matrona, cui annuam
 operam locaverat, ad me deducendam curavit: omnia verò
 perpendenti, quæ in morbi cognitione adducerent, gravidita-
 tatis aliqua apparuere signa: negabat tamen, nec ab illâ un-
 quam extorquere potui, nisi imposturâ, cum scilicet pollici-
 tus essem me facturum, ut quod contineretur utero, facile
 evanesceret in auras, & tanquã frustulatim excideret. Ad hæc
 promissa cum aures arrexisset, meam confirmat sententiam,
 & septem jam menses elapsos esse, ex quo conceperat, fate-
 tur. Rem ad illius heram defero, & matri & fœtui prospici-
 endum moneo. Interim ego recipio me præstiturum reme-
 diis, ut ab hydrope, in quem se pertraxerat, emergeret, &
 fœtus luce incolumis tandem frueretur: illius verò animum
 in spem erigere conamur, dum propinquis servanda com-
 mitteretur. Exhibui ergo *stomachici g. vj. racemi acinulo in-*
clusa, quæ sub horam decimam nocturnam sumpsit, vomitu
 plures quàm lbij aquæ ejecit, perque alvum ita repurgata
 fuit incolumi utero, ut vix elapsis duobus diebus bellè sese
 habens cum propinquis aliquibus in suum pagum fuerit
 deducta, ibique nono mense enixa puellam est. *Hæc ille. Quo-*
 modo autem ab ingravidatione dignoscendus

hydrops, videre licet ex *Hipp. l. c. pag.*

177. & 178. ed. Fœs.

CAPUT VIII

de

Prognosi.

Προδιατέλλεσθαι χρὴ τὸ ἐκ ἐμπειρίας, *Eventa per experientiam cognita predicenda scribit Hipp. l. de decenti habitu p. m. 24 : Pulchrum n. est & ex dignitate medici, ἀγ- λέγειν ὀρθῶς, ἂν ἔχοι θάνατον ἢ ὀδύνας ἰχυράς mortem ipsam aut vehementes dolores predicere. 2. epidem. p. m. 1053. Tanta huius medicinæ partis est necessitas, ut absque hac, referente Huchero l. de progn. c. 1. frustra cura ad sanandum suscipiatur.*

Sciamus itaque dignoscere, cuius hydropis curam audacter, & cuius minimè aggredi possimus, ne nobis, si temerè, & sine delectu quælibet suscepta fuerit, mali medici nomen arrogemus, occasionemque Helmontianis demus, nullam hydropem Galenicos posse curare falsò jactitantibus.

Quamquam autem *Aretæus l. 2. diut. c. 1. scribit : ὕδρωψ ἀτερπὲς μὲν εἰσεῖν πάθος, χαλεπὸν δὲ καὶ παθεῖν. Διὰ διδρῆσκας γὰρ τὸδε πάγχυ παῦροι ὑπὸ εὐτυχίης, καὶ θεῶν μᾶλλον ἢ τέχνης. Hydrops injucundum aspectu vitium est & toleratu difficile: ab ipso enim perpauci liberantur, idque felicitate quâdam ac deorum potius, quàm artis auxilio. Et Hipp. l. 1. de morbis reliquit: τῶν δὲ νοσημάτων τὰ τοιάσδε ἔχει ἀνάγκας, ὥστε ὑπὸ αὐτῷ ἀπολλυμένῳ ὅταν γένωνται φθίσις, ὕδρωψ hi morbi ex necessitate, cum ad- sunt, mortem adferunt, tabes & aqua inter cutem; non tamen statim impatienter cum Hadriano Imperatore desperandum: hic enim, ut refert Dion Cassius, postquam in venatione constam & jugulum fregisset, inque hydropem incidisset, ac multos medicos ad curationem infelici successu vocâisset, exclamavit: πολλῶν ἰητρῶν εἰσοδῶσασι λέα ἀπώλεσε multorum medicorum ingressus regem perdidit, seque servo necandū dedit. Nec propter difficultatem curationis omnis medela spernenda, quemadmodum Heraclitus Ephesius hydrope laborans medicos invisentes irrisit, quarens ex ipsis: nunquid ἐξ*

ἐπομβρίας ἀνχρὸν ex pluviam siccitatem facere possent. Postea verò oblitum se bubulo fimo Soli siccandum præbuit, & cum sic obdormiret, à canibus ex improvise dilaceratus est, *ut refert Diog. Laërtius.*

SALUTIS & MORTIS prædictionis fontes sunt I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA. Periculi gravitate omnibus hydropis speciebus præit ascites, præcipuè si sit **MAGNUS** ratione *Μαθέσεως ex dispositionis propria essentiâ*, multum à naturali statu recedat, sit **DIUTURNUS**, viribus jam fractis insultans. *ἰχυρώτερος τῆς τῆς κάμνοντος δυνάμει*, ita ut in propatulo sit, ægrum hujus morbi onus salvâ vitâ portare non posse. Inveteratus talis *ἔχει ἀνάγκην, ὥστε ὑπ' αὐτῆς ἀπολλυμένη* necessario perimit. **II. Τὰ ἐξ ἀνάγκης ἐπόμενα EX NECESSITATE CONSEQUENTIA** symptomata etiam prædicendi fontem novum aperiunt. **I. ACTIONUM LÆSARUM vitalium**, ut pulsûs; *naturalium*, ut appetitûs solidorum & liquidorum; *animalium* ut respirationis vehementiæ magnum arguunt periculum. **FEBRIS** si cordi sit molesta & humidum vitale exhauriat, spes in angusto. **2. QUALITATES MUTATÆ** visibiles etiam malè vel benè sperare jubent. **Color faciei** si ad vividum accedat, bonum, nisi sit politicus, & fallaci spe ludat. **3. EXCRETA** multum momenti habent in prognosi hâc. Commodum est, *verba sunt Celsi l. 3. de re medica c. 21. p. m. 87*, lino quotidie ventrem metiri, & quâ comprehendit alvum, notam imponere, postero die videre, si plenius corpus sit, an extenuetur. Id enim quod extenuatur, medicinam sentit. Neque alienum est metiri & potio- nem & urinam: nam si plus humoris excernitur, quàm assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est. *Sudor* hydropicis superveniens, si subinde æger alleviari se senserit, bonus. Quanto minor & *paucior* redditur *urina*, tantò deterior est. *Bicolor urina*, quæ in supremâ unius & in infimâ alterius est coloris, præsentem mortem minari quotidiana docet experientia. *Sedimentum rubrum*, instar laterum contusorum, quamvis non sit jecoris corrupti & colliquati

indiciū, nihilominus est periculofum: *Dysenteria, & fluxus alvi*, si asciti supervenit, moriuntur. τοῖσι ὑδρωπικοῖσι βῆξ ὅπτι-
 γμομένη κακόν, *hydropicis tussis si superveniat, malum*, Hipp. 6. aph.
 35. & 7. aph. 47. ὑδρωπῶντα εἰάν βῆξ ἔχη, ἀνέλπιστός ἐστιν *hydropi-
 cum si tussis detineat, desperatus est*. Illa scilicet tussis, quæ fit ab
 aquâ in pulmones se ingerente.

SUBJECTI ratione πρὸς λέξις variat. Formidabilior
 ascites, ob sanguificationem cordis, quàm viscerum depu-
 ratoriorum firmitatem læsam.

CAUSA periculum evidenter variat. In *juvenibus, & vi-
 ribus robustis* qui sunt, facilius curatur. Facilius etiam *servi
 & pauperes*, quàm liberi, divites & primates curantur. *Ali-
 menta & medicamenta*, εὐλόγως exhibita, juvare quæ debebant,
 si non sortiantur eventum optatum, pessimum indicium. A
frigida intemperie facilè medicamentis cedit. Levior, *ab ingesti-
 one ciborum humidorum* qui ortum ducit. A *seri copiâ* per ἀνα-
 στόμωσιν καὶ Διαπίδησιν in cavum abdominis stillante qui fit,
 aliquam curationis præbet spem, dummodò æger adhuc sit
 εὐπυλαγχυνος. Ascites confectarius errorum externorum,
 tertianarum, quartanarum, facilius curatur. A procidentia
 jecoris aquâ pleni in omentum, qui oritur, lethalis. 7. aph. 55.
 Recidivus ascites rarò in integrum restituitur. Non desunt
 tamen exempla feliciis successus.

χερνικὸν νόσημα ὅστιν ὁ μὲν ἀσκήτης, atterit vires non præ-
 cipitio, sed morâ. Annum nonnunquam attingit. Si subleve-
 tur æger vesicis crurum vel scroti apertis, in longiorem pro-
 trahitur cruce.

MODUS EVENTUS non unus. Terminatur ad MOR-
 TEM nonnunquam fluxu alvi Hipp. 2. progn. t. 2. Si aqua per
 umbilicum spontè vel arte apertum nimis, & subitò copiosa
 efluat. Bion, 7. epidem. t. 21. ἐξ ὑδρωπικῆς πολυχρονίης, ἀπόσιτος
 ἐγένετο πολλάς ἡμέρας, καὶ στραγγερῶδης, ὅπτι γένατο ἀρι-
 στερῶς, ἀπόσημα ἐγένετο, ἐξεπύησεν, ἐτελεύτησεν cum multo tempo-
 re aqua intercutem laborasset, multis diebus cibum aversabatur &
 urinae stillicidio vexabatur. Ad genu sinistrum oborto abscessu & sup-
 puratione

puratione factâ mortuus est. Ctesiphon post ardentem hydropicus factus corripitur tussi, suffocatione, rigore, febris; tandem circa inguen livido apostemate, cardialgiâ, οὐ πολὺ ὑπερὺν ἀφωνή, πνιγμός μὲν ῥέγχεσσι, καὶ ἐτελεύτησεν, l. c. t. 22. In Olintho t. 23. hydropicus derepentè ἀφωνή voce defectus, per diem & noctem mente captus, mortuus est. Apoplectico modo interdum fato suo defunguntur, ceu observavit Duretus in Comitissâ Gruerianâ. vid. ejus comment. in coac. præm. p. 337.

Ad SALUTEM: aquæ per alvum, per urinam, sudores copiosos evacuatione.

Sufficiant hæc de Διαγνώσει & Περὶ γνώσει.

CAPUT IX

Curationem aggreditur.

Calenus se malè imprecari iis, qui medicæ speculationis vel principes se esse jactitant, nullius verò agri volunt aggredi curationem, scribit l. 5. de loc. aff. c. 7. Ἔστιν ἐν νόῳ καὶ τὰ περὶ νόσων ἰήσις, καὶ οἱ ῥιζτέων τρέπον ὅσα χῶς καὶ ὅν τρέπον πρὸς ἐκάστων ἔχουσιν. αὐτὴ γὰρ δεχθὲν ἐν ἰητρικῇ καὶ μέσῃ καὶ τέλει. In animi notione reponantur, quæ ad morborum curationem pertinent, eorumque modi, quot & quo modo in singulis se habeant: hoc enim in re medicâ principium, medium, & finem obtinet. Coi est effatum l. de decenti habitu p. 24. edit. Foës. πολλὰ γὰρ ἔδὲ συλλογισμῶς, ἀλλὰ βουθέϊης δέ τῶν πραγμάτων pleraque enim non ratiocinatione, sed auxilio indigent.

Nos itaque tutissimæ ac demonstrativæ in Dogmaticorum scholis tritæ viæ insistentes, methodum medendi per Indicationes, harumque triplicem scaturiginem, chirurgicam, pharmaceuticam & diæticam (ἀ δὲ μὲν χειρουργίης ἰώματα, ὡ δὲ βουθέματα, θεραπευόμενα ἢ Διατιώμενα, morbi partim per manûs operam sanantur, partim verò per auxilia aut viclûs rationem curationem accipiunt, Hipp. l. c. p. 23.) aggredimur, & proponimus in

CAPITE X

Indicata chirurgica.

CHIRURGIA nobilissima præbet auxilia, & I. VENÆ-SECTIONEM. Hanc nonnulli Galenum l. de venæs. adv. Erasistr. c. 5. empiricos αἵμοφόβους redarguentem, sequentes, in Anasarcâ concedunt, non autem in cæteris speciebus Tympanite & Ascite. Alex. Massar. l. 3. prælect. acad. c. 16. p. m. 386: In ascite redundante aquâ, quæ longè distat à naturâ sanguinis, verisimile est, ægrotos nullo modo posse missionem sanguinis sustinere. Paracelsus tom. 1. p. m. 721: Die Wasser-Sucht ist nie zu keiner Ader ausgezungen worden / alsß ihr mit der Ader aus dem Nabel vermeinet habet.

Verùm cum Zacuto Lusitano de medic. princ. p. 396, Jacotio l. 6. in Hipp. Coac. sect. 2. comm. sent. 18, Joh. Zecchio consult. med 77. Laz. Riverio prax. med. l. 6. c. 6. & aliis dicimus: Φλεβοτομίαν administrari posse, si vel à suppressâ sanguinis evacuatione ortû ducat ascites; vel morbus acutus sit conjunctus, e. g. pleuritis, aut angina, qualem casum proponit Hieron. Capivacc. med. pract. p. m. 683: Sic enim necessarium est venam secare, ut iminenti occurramus morti. Natura quippe ab humorum crudorum pondere sublevata, poterit reliquos, qui supersunt, concoquere & in sui alimoniam convertere. Observandæ tamen sunt conditiones ab Hipp. l. de vict. rat. in morb. acut. p. 75. ed Foës. notatæ: ἢν δὲ δύσπνοος ᾖ, καὶ ἡ ὥρη ἐαρινὴ ἔσται τύχη, καὶ ἡλικίη ἄμα ἀκμάζη, καὶ ῥώμη ᾖ, si difficulter spiraverit eger, fueritque anni tempus vernal, & viguerit ætas, viribusque fuerit valentibus; aliàs ἀκαιρὸς erit Φλεβοτομία, quæ, ut loquitur Alex. Trall. l. 9. c. 2, Φέρει κίνδυνον καὶ ὅτι τῶν ἄλλων, ὅτι δὲ ὑδρωῶντος θάνατον in aliis periculum inducit, in hydropico autem mortem. Consentientes vide Petr. de Peramato l. de vacuand. rat. c. 29. Mercat: l. 4. de morb. int. c. 6. Job. Marquard. l. 3. pr. c. 11.

Quoad locum notandum. Veteres venas scroti aperuere,

aperuere, id quod etiam in Michaële Angelo Patere Calabro Rossanensi feliciter expertum se esse scribit *Marcus Aurel. Severinus part. 2. chirurg. effic. c. 23. & c. 24. l. c.* addit: Venæ, præputio quæ subest, sectionem hydropicis probè facere scribit ex Avicenna *Job. Ketham* in summulâ venarum, quæ medicos in usus secantur.

Verùm sine censurâ hæc dimitti non potest vena. Pygmæum est inde sperandum auxilium. Revulsioni ergo commodior multis videtur locus in crure juxta malleolos. Sed non major hujus habenda ratio, quàm prioris. Ἀπὸ τοῦ Βερχίου & αἵμα ἀφαιρῆεν nos cum *Hipp. l. c.* suademus.

CUCURBITULAS SCARIFICATAS veterum multî admiscere, rejecere multi. Cumprimis de loco scarificando lis est. *Discipulus & gener Hippocratis Polybus l. 2. de affect. corp. c. 22*: Si pudenda & scœmora turgeant, confidenter scarificabis, aut incidas. *Alex. Benedict. l. 15. de cur. morb. c. 40.* & *Herc. Saxonia* scarificandum abdomen concedunt; in talis verò & cruribus ab eâ abstinendum innuunt, propter gangrænæ periculum. *Aëtius l. 10. c. 13. Nicol. Massa epist. med. 21.* & alii, crurum præferunt ἐγχαράξιν. *Victor Trincav. p. m. 411. consil. med.* scribit: in ascite cucurbitulæ abdomini & cruribus apponendæ sunt.

Nos statuimus: Scarificationem, prout à veteribus instituebatur, (magna & profundior erat) non semper benè cedere, sed ob humoris falsi affluxum non rarò inflammationem & gravissimos dolores, imò quandoque etiam gangrænâ accedere: prout verò hodiè instituitur (*Galenus l. 2. ad Glauco. tenuis & superficialia*) leve adferre emolumentum. Si quæ autem instituitur, fieri debet, ubi partes tumidæ sunt & humore refertæ, alioqui inutilis est. Scribit *Hier. Fabr. ab Aquap. chirurg. operat. p. 67.* se idem pluries administrasse in talis, penis tumente cute, semper feliciter cum successu, factis pluribus altis & longioribus, quanta videlicet unguis magni digiti longitudo, sectionibus per digitum distantibus. Quotidiè & assiduè enim ex his effluit

E

materia,

materia, quæ tandem partes ab aquosis & pituitosis humoribus liberat, absque eo, quod debile corpus ex hujusmodi operatione reddatur.

VESICATORIIS potissimum in ascite utendum. In utroque crure duo fieri possunt, in abdomine quatuor: est enim affectus rebellis, & omnia tentanda, antequam ad perforationem deveniamus, scribit *Capivacc. l. 3. pract. p. m. 683.* Consentit *Paschal. l. 1. method. cur. c. 44.* *Paræus l. 7. chirurg. c. 12.* Excitatae vesicae erunt relinendæ, ut sic sensim eo usque aqua effluat, quoad humor omnis exhaustus fuerit, & æger sanitati restitutus. *Jacobus Hollerius l. 1. de morb. intern. p. m. 371:* oportet vesicas configi, ulcera aperta conservari. Permittetur aqua fluere ad sexaginta dies.

At *Ludovicus Septalius l. 7. animadv. & caution. medic. §. 55.* Quamvis duos hydrope laborantes sanatos viderim, scribit, vesicis in cruribus per se excitatis & disruptis, & multâ aquâ per eam partem evacuatâ, nullos tamen unquam spatio hoc quadraginta annorum, quo in magnâ hac urbe (Mediolanum erat) medicinam facio, curatos vidi, quibus à medico vesicantia cruribus admota fuere, sed ferè semper gangrænæ subsecutæ sunt curatu impossibiles: ut optimè etiam doctissimus *Massaria* longâ experientiâ observavit.

Nos cum *Guilielmo Fabr. Hildano observ. chir. 49. cent. 1.* in senibus & quibuscunque hebescit calidum innatum, exitiosum planè; in junioribus verò & valentioribus quandoque efficax hoc remedii genus pronunciamus. In abdomine nunquam vesicandum.

CAUTERIA an conducant, disquiritur. *Alex. Massaria* in nullo hydrope, minimè tamen omnium in ascite probat, *Johann. Heurnius in aph. 8. sect. 6.* *Hipp. τῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γνόμματα ἔλκεα ἐν τῷ σώματι, & ῥηιδίως ὑγιάζει.* Ulcera hydropicorum vix imò ne vix curantur, addit: In omni specie hydropis insanabilia ferè sunt ulcera. Cave ergo tu, ne cauteria in uras hydropicorum corporibus: novi enim hoc evenisse in Doctore celeberrimo medico *Ultrajectino*, qui

qui cum ab aquâ fatigaretur, inurî suis cruribus ulcera iussit, at illa mox in gangrænâ abibant, & hominem ab-
cipiebant.

Hippocraticæ doctrinæ observantissimus Polybus Inurere oportere hydropicum ita, ut crustulas octo efficiamus, vult *l. c. cap. 23.* *Hollericus l. c.* cauteria inducenda ventri in ambitu umbilici & quibus partibus tumor est, suadet. *Mercatus l. 1. de recto præsidiorum artis medicæ usu c. 16.* In hydrope docuit rerum magistra natura hoc præsidium (fontanellam) esse profuturum, siquidem ipsa, dum tali morbo vexatur, hoc utitur auxilio, excitatis ulceribus in cruribus ipsis, per quæ facilè uberem aquosi humoris copiam expellit, donec ex toto paulatinâ evacuatione immunis evadit. Item *Mercurialis l. 3. c. 24.* scribit: quod si hæc (medicamenta) nihil præstent, solent medici confugere ad remedia proposita à *Celso* & *Aëtio*, scilicet ad cauteria in utroque crure juxta malleolos, quibus apertis diu servatis, aqua, quæ alioquin suo pondere in partes inferiores fertur, longo tempore dissipatur. *Matthias Glandorpins c. 16. gazophyl. polyplus. p. m. 109.* Ego ascitici tibiis infra genu fonticulos apposui, ait, unde incredibilis aquæ citrinæ copia excreta, hinc & sanatus. Periculum sphaceli devitatur, si cauterio actuali utamur, à butyro abstinemus & solummodò diapalma apponamus, supraque id linteum duplicatum ex vino albo potenti expressum, fasciâ similiter ex vino expressâ, obvolvamus. Præstiterit autem in vino esse scabiosam, scordium & absinthium maceratum scribit *Aquapend. p. m. 67.* Gangrænæ periculum amolitur, si mundum servaverimus vulnus: exstillans enim serum in fasciis hærens & pedes madefaciens, ocyùs inflammationem, quæ subito in gangrænâ abit, progignit, quod centies accidisse, nullamque gangrænâ frequentiore esse vidit *Felix Platerus.*

Τὴν ἀνάτρεψιν λαμβάνειν δὲ μάλιστα ἐπὶ τῶν ὑδεριῶντων,
ὡς τὰς πόρες ἀραιῶσαν καὶ ἀπολεπνύωσαν τὰ ὑγρὰ καὶ διαφω-
ρῶσαν

ῥῆσιν verba sunt Trall. l. 9. c. 2. Frictio iterata nempe meatus conniventes aperit, humores desiccant, extenuat atque disjicit, celeritas sudores elicit plurimos, & carnem cogit. Perfricandi autem sunt manibus Ole & ☉ calefaciente illitis; deinde aquâ Aream aut falsâ lavandi, vel lixivio Ole & ☿to, eâ parato arte, ut vix acetum & sal inesse percipiantur scribit ex D. Horatio Resero Laur. Scholzius consil. med. p. m. 362.

Vetustissima restat operatio chirurgica, cujus Hipp. l. de loc. in hom. & l. de int. affect. Aristot. 5. de gen. animal. c. ult. Avicenna l. 3. fen. 14. tr. 4. c. 13. Albucasis l. 2. chir. c. 54. Celsus l. 7. c. 15. & alii meminerunt, ὀφθαλμικὴν vide licet. Hanc Avicenna, Gordonius & alii, periculosissima quod sit, rejiciunt. Alex. Massar. l. 3. præl. acad. c. 16. p. m. 389. ne ullum sibi videre contigisse, qui exinde vivus & superstes manserit, scribit. Quod tamen inde evenire putat, quia ægri in hoc duellum ducuntur eo tempore, quo cæteris omnibus frustrâ tentatis nulla propemodum remanet spes salutis. Pergit ille: modò illud addatur & incisionem scroti & perforationem abdominis minimè in omni hydrope convenire, sed in eâ tantùm specie, quam ascitem appellant. Hier. Mercurial. & Pareus l. 7. chirurg. c. 12. non nisi sex hisce observatis conditionibus, eam operationem administrandam suadent 1. ventre ab aquâ valde gravato. 2. viribus integris. 3. febre non præsentem. 4. visceribus salvis. 5. malo non habente causam atram bilem. 6. ægro nondum emaciato, nec in agone. Quibus observatis eandem adhiberi posse & nos censemus.

Quoad TEMPU S, dicimus cum Coo 6. epid. p. m. 1195. ὑδατώδεις ἰσχυροὶ τὰ μὲν hydropicos citius incidere oportet, antequam scilicet, ut Foësius in notis ad h. l. materia computreat, interna viscera gravius affecta sint (interaneis enim corruptis si sectionem tentes, nihil aliud facies, quàm exhaustis spiritibus cū effusâ aquâ, corpus moribundum citius interficere scribit Zacut. Lusit. de med. princ. p. m. 395.) vires concipi-

concidant, & morbus totius corporis habitum immutârît;
aut in cachexiam conversus sit.

Locum quod attinet, *Hipp. l. de affect. retrò juxta lumbos aperit, teste Severino l. de effic. med. p. 88. Laurent. in histor. anat. tutissimè in ipso umbilico posse fieri scribit. Verùm Hildanus cent. 2. obs. 58. postquam incommoda multa ex umbilici apertione provenientia recensuisset, rectè concludit tandem ὡς ἀκέντησιν instituendam esse nunquam in umbilico, sed procul ab eo, ne vena umbilicalis abscindatur & æger vitâ privetur. Pareus l. c. trium digitorum infra umbilicum spatio sectionem faciendam esse, ad latus nempe rectorum musculorum, non autem ad lineam, quam vocant, albam suadet. Amplissimus Dn. Præses in musici hîc Jenæ satis noti (Pfeiff Hans dicebatur) filio hydropico paracentesin instituit quatuor digitorum distractu sub umbilico ad latus sinistrum, vulnere facto aqua ad canth. VIII. profiluit. Clauso & deligato vulnere semper satis multum effluxit aquæ, deinde per alvum infinita aquæ copia aliquot dierum spatio fuit excreta, quod intestina à sero fuisse corrosa arguit, hinc post 14. dies fatis concessit.*

IpsiUS UMBILICI apertio fieri potest quidem, quando umbilicus ita latus est & tumens, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem & aquam ipsam tenuissima tantum cutis intercedat, quam vel ipso tactu, digitique compressione ac perspicuitate deprehendes. Quam sanè viam natura, quæ est vera morborum curatrix, solet interdum monstrare, solita etiam est ea aperta ægrotantes sanare. *Aquapend. chirurg. operat. p. m. 68. Valleriol. l. 4. observ. med. 3 p. m. 260.* Licet enim foetu excluso umbilicus ligamentū fiat, verba sunt Nobilissimi & Amplissimi Domini Præsidis l. 5. dissert. anat. c. 51. p. m. 904; à continuâta neni aquæ alluvione emolliri & referari potest, ut hiet, & tum serum exuberans per umbilicum excernitur. Nos etiam vidimus hydropicam, in quâ aqua loturæ carniū similis ad aliquot lb per umbilicum sponte

suâ ruptum effundebatur. Aqua per venam umbilicalem emanabat.

Scroti perforatio tutior est, & setaceo, quod quidam adhibent, præferenda.

RATIONEM seu MODUM faciendæ paracentesios ita describit *Ambros. Paræus l. sæpè cit*: Chirurgus tum suâ, tum adstantis ministri manu, cutem abdominis cum subiecto panniculo carnosio carpet & seorsum abducet, seorsim abductam per transversum ad subiectam usque carnem sectione dividet. Quo perfectò cutem divisam sursum, stomachum versus, quàm maximâ poterit contentione compellet, ut cum vulnus carni subiectæ mox infligendum, consolidandum erit, cutis suo in illud relapsu, ei operi inserviat. Tum ergo vulnere non ita magno carnem musculosam atque peritonæum dividet, inviolatis omento & intestinis. In vulnus tubulum peniculi forma seu fistulam auream aut argenteam incurvam, tubuli pennæ anserinæ crassitie & semidigiti longitudine immittet. Simili modo describit ferè *Christoph. à Vega l. 3. art. med. c. 11. Amplissimus Dominus Præses* semper Lancettâ punctione paracentesin instituit. Non audiendus *Job. Tilemannus* dum in *θερραπείαις aph. 76. sect. 7.* eam cauterio actuali potius, quàm scalpello instituendam scribit.

IN QUANTITATE emittendæ aquæ cogitet medicus *de aph. 28. sect. 6. ὁκόσοι ὕδρωπκοὶ καὶ οὐκ ἔχουσιν ἢ τέμνον, ἐκέρχυνται τὸ ὕδωρ ἀθρόον, πάντως ἀπόλλυνται*. Qui hydropici uruntur vel secantur, si aqua universim effluxerit, certò moriuntur. Quem *aph.* sic explicat *Heurnius*: ἀθρόον id est, per libras, cum ʒj ad ʒiiij secundum vires erat exhaurienda tantum. Semel id fiat in die, dum duodecimum ad diem ventum sit, tunc liberè effluat, si quid superest. Aliàs universim emissâ materiâ propter dispendium simul spirituum mors invehitur, quemadmodum *Paræus l. c.* in quodam vidit, qui, cum ob morbi & remediorum impatientiam sibi ventrem adacto stylo pupugisset, atque aquarum effusione liberari mirum in modum gestiret, intrâ paucas horas interiit, cum excurrentis aquæ impetus

impetus nullâ arte fisti posset, quod non esset arte facta incisio. Negari quidem non potest, aliquando fieri posse, ut confertim & subito evacuatâ aquâ, sine virium prostratione & syncope, sanitatem quidam consequutus sit, quod obijcit *Eustach. Rhodius*, præcipuè naturâ sponte sibi viam quærente: an pari autem successu naturam imitari possimus, dubitatur. Utinam arte & industria aliquâ ita fieri possit, scribit *Hildanus cent. 1. obs. 47. Vid. Celsus l. 3. de re medica c. 21. Aquapend. p. m. 70. Arnold. Villanov. l. 2. breviar. c. 30. Anton. Musa Brassavola comm. in aph. 27. f. 6. Capivacc. l. 3. pr. c. 16. Paræus l. 7. chirurg. c. 12. Henricus Smetius miscell. l. 7.*

CAPUT XI

Pharmaceuticum aperit fontem.

Hipp. l. de affection. p. m. 525: ὅσοι μὲν χολώδεις εἰσι διδόναι τὰ ὑφ' ὧν χολή καθαίρεται. ὅσοι δὲ φλεγματώδεις, τὰ ὑφ' ὧν φλέγμα. ὅσοι δὲ μελανχολῶσι, τὰ ὑφ' ὧν μέλαινα χολή. τοῖσι ὅ ὑδρωπῶσι τὰ ὑφ' ὧν ὕδωρ. Quamvis autem & verissimum sit, & Galeni autoritate, l. quos, quibus, & quando purgare oportet, confirmatum, serofos humores ab initio purgari posse, quod nulla in eis exspectari debeat coctio, quod nullam coctionem admittant; cavendum tamen erit validis uti hydragogis statim ab initio, sed leviori aliquo medicamento erunt prima excrementa educenda, & sic viæ ad validiores evacuationes præparabuntur, monet *Ludov. Septalius l. 7. caut. & animadv. med. §. 47.*

LENIENTIA sunt manna, aloë, crem. ☿, mel. ros. solut, Sir. viol. serum lact. ☿ l. hiern simplex Galeni, pil. de aloë rosata, aloë-phang: assajareth. &c. Hæc & similia pro arbitrio prudentis medici & ægrotantis palato in variâ formâ præscribi & exhiberi possunt.

Rx. acid. ☿ chalyb. ʒβ

☿ Olat. ʒj

M. D. ad chart. S.

Pülverlein auff einmahl

Rx. Oli. ʒ ʒβ

cryst. ☿ ʒij

M. D. & S.

Eröffnungs Pulver auff ij mahl.

Vel

vel: RZ. *seri lact. destill. ʒiij*
sir. fl. acac.
violar. aā ʒß
ess. gialap ʒi
 M. F. Potio

S. Linderant auff einmahl.

Vel: RZ. MP. de aloë ros.

cum pauc. sir. de absinth.

D. & S. Pillen auff einmahl.

vel: RZ. *rad. alth. ʒj.*
ireos ʒß
b. malv.
mercurial.
absinth.
agrimon aā Mj.
fl. sambuc. Mß

sem. anis.

fenic aā ʒj

Coq. in s. q. aq. Cola ʒßj. addo

hier. simpl. ʒvj.

ol. aneth. ʒj.

Sal. ʒj.

M. F. Clyster.

Hæc sequantur PRAEPARANTIA & APERIENTIA,
 qualia sunt radices, quinque aperientes, cichor. &c. herbæ, ab-
 sintb. eupator. capill. ♀, cusc. puleg. &c. Semina, anis. fenic. cic.
 rubr. & composita: sir. acetos. simpl. & comp. sir. de s. rad. byzant:
 de cichor: c. rhab. fl. persic. de eupat. de absinth. decoct. aperit.
 min. & maj: &c.

RZ. *aq. petrosel. ʒj.*
sir. de artemis. ʒß.
mist. simpl. ʒß.
 M. D. S.

Digestiv. trāncklein
 auff einmahl.

RZ. *sir. aperit. Mind. ʒß.*
aq. sarsap. comp. dest. ʒij
croc. & sacch. ʒß
 M. D. ad vitr. S.
 trāncklein

RZ. *magist. ♀ Ol. ʒß.*
fec. bryon. ʒj
⊖ bacc. junip.
genist. aā gvijj

M. & divid. in part. 4. æqu.

S. Digestiv. Pulver uf jmahl.

RZ. *spir. Ol. comp. Penoti ʒß*
rob. junip. ʒj
sir. byzant. ʒj
 M. S.

Safft auff einmahl.

Vel:

Vel: R̄. rad. petros.

asparag.

gram. ā. ʒ℥.

b. absinth. M℥.

prass.

capill. ♀. ā. p. iij.

fl. genist. p ij.

sem fenic.

dauc. cret. ā. ʒj.

Coq. in f. q. aq. Colaturæ ʒiv.

adde

fir. des. rad.

cich. c. rhab.

fl. acac. ā. ʒj.

M.

D. in fictili

S.

His succenturiuntur PURGANTIA, quorum quædam efficiunt, ut humores vitiosi per vomitum, quædam, per secessum, quædam, per *διέξινον*, quædam, per *διὰ φόνον* exterminentur. Ad singula & nos pergimus.

De VOMITORIIS jamdudum magnæ famæ medicus *Haly-Abbas* scripsit: Imminente hydrope vomitus tentandus, confirmatâ fugiendus. *Petrus Forestus l. 19. obs 29.* recitat historiam cujusdam, qui mari iter faciens & molestis vomitibus vexatus, ab hydrope sit liberatus. Verum cum in hydropicis ventriculus semper ferè langueat, & musculi abdominis non possint liberè concurrere, potiùs ab eorum usu, nisi in iis, qui facile & sine molestiâ vomunt, abstinendum.

Per SECESSUM commodior instituitur evacuatio.

R̄. pulv. gialap. ʒj.

gumm. gutt. ʒ. vj.

arc. anthydrop. Hartm. ʒ. iij.

ol. fenic. g. ij.

M. D. in chart.

S.

R̄. elater. correct. ʒ. vj.

extr. panchymag. Croll. ʒ℥.

⊖ bacc. junip. ʒ. v.

⊕ anodyn ʒ. iij.

M. F. pilulæ n. ix.

d. in pyxide

S. Purgier Pillen auf einmahl.

Pilul. hydropic. Bontii ʒ. xv. etiam conducunt.

Vel: R̄. extr. esulæ ʒ. v.

fir. cich. c. rhab. ʒ℥.

M. D. S.

R̄. cryst. D. ʒ. iv.

conf. ros. ʒj.

M. F. Bolus

Purgier Saft auf einmahl.

S. Wasserausführender Zucker.

F

Felici

Felici cum successu usus est *Fuchsius l. 3. de med. morb.*
 34. sequente clystere:

Rx. fl. daphnoid. ʒij.
 rad. polypod.
 agar. ā. ʒiʒ.
 cuscut. ʒ iij.
 coq. in s. q. vini ad
 tertias
 Colatura adde

bened. laxat. ʒʒ.
 antidot. ind. ʒiʒ.
 mell. ros. ʒj.
 ol. ros.
 chamem. irin. ā. ʒʒ.
 Θ. ʒiʒ.
 M. pro Clystere.

Victor Trincavellius mirè commendat sequentem po-
 tionem:

Rx. rhab. mund. & centuf. ʒj. sir. capill. ♀. ʒj.
 infund. p. n. in aq. cuscut. ʒ ij.
 succ. rad. ireos ʒ vj. M. pro Potione
 expressioni adde S.
 succ. cyclam. depurat. ʒiʒ. Tranc̃ auf einmahl.

Angelus Sala non minori promptitudine, quàm cætera
 scribit ternar. bezoard. c. 2 r. aquas per alvum deturbare Bo-
 lum, qui

Rx. scam. spagir. depurat. ḡ. xij. ol. sal gemm. ḡ. iij.
 conf. ros. ʒj. caryophyll. ḡj.
 Wel: **Rx.** rad. ireos ʒʒ.
 ras. lign. cydon.
 junip. ā. ʒij.
 cort. rad. ebul. ʒiʒ.
 sem. anis.
 bacc. junip. ā. ʒj.
 li. absinth. pont.
 gratiol. ā. mʒ.
 fl. sambuc.
 persic. ā. p. iij.
 soldanell. ʒij.
 fol. senn. al. s. s. ʒʒ.
 rhab. el. ʒij.
 infund. in s. q. seri lact.
 stent p. n. in leni calore
 Colatura ʒ iij. adde
 sir. fl. persic.
 de lupul. ā. ʒj.
 M. F. Potio.
 S. Purgier Tranc̃.

Succus palme Christi mirum in modum à circumferen-
 tia ad centrum per alvum evacuat. *Reserius l. 6. conf. Craton. 74.*
 Solda.

Soldanella zij. in potu assumptas omnia reliqua superare in educendâ hydropicorum aquâ, ita ut non pauci ejus usu sanitati sint restituti scribit *Fuchs. de med. morb. l. 3. c. 34.*

Notandum hîc quàm maximè est illud *Alex. Trall. l. 9. c. 3.* δὲ ἢ μὴ ὑΦ' ἐν τῷ ποιεῖν, ὥστε μὴ καταβληθῆναι τὴν δύναμιν. Hoc non unâ vice faciendum est, ne vires dejiciantur. καὶ ὅτι εἰ καὶ πλεονέχον ὦσι τὸ κενόμυρον, ἀλλ' εἰς τὴν ἀσθενεῖαν μετὰ βολῶν, μάλλον βλάπτει. βέλτιον δὲν ὦσι καὶ μικρόν καὶ ἀσφαλῶς κενῶναι, ἢ πλεονέχοντα καὶ πορρῶς μύρον ἅμα τῇ νόσῳ συνανελεῖν καὶ τὸν κάμνοντα. Etenim, quamvis id quod evacuatur, recrementum est, tamen universa ac subitâ mutatione magis offendit. Satius igitur est paulatim et tutò evacuare, quàm festinando, perturbandoque unâ cum morbo etiam ægrum à medio tollere. Cum enim ignis innatus nimîâ humorum frigidorum copiâ sit obrutus, subitam auxiliorum, eamque confertim factam administrationem ferre nequit. Pessimi quippe succi evacuatione cum fit affatim, moriuntur hydropici scribit *Vallesius l. 2. M. M. c. 13.* Utatur interim Rotulis & Electuario apud *Hartmann. in pract. chymiatr. p. m. 147.* descriptis.

Potissimùm per LOTIUM sunt evacuandi hydropici, legimus apud *Ludov. Septalium l. 7. S. 49.*

Rx. Θ genist.

slip. fab. ā. 3j.

ol. terebintb. ḡ. vj.

bacc. junip. ḡ. iiij.

M. D. S.

Treibe Salz auf drey mal.

Rx. aq. aperit. Penoti ὃβ.

vincetox. 3j.

spir. Θ ni ḡ. vj.

M. D. ad vitr.

S.

Urintreibender spiritus
auf einmahl.

Rx. aq. ononid.

asparag. ā. 3ij.

spir. \boxplus . ḡ. viij.

essent. lap. Θ . fluviat. ḡ. v.

M. D. in vitro S.

□treibendes Wasser auf einmal.

Rx. aq. fœnic.

asparag. ā. 3℥.

spir. ebulli 3ij.

Θ prunell. 3j.

mag. lap. Θ . 3℥.

M. D. S.

Harnereibendes Wasser.

F 2

Rx. conf.

R. *cons. fl. persic. 3ij.*

M. F. Bolus S.

cathart. argent. Myns. ʒ.v.

Starck Wasserführender Zucker.

Spiritus ☉ *l. ʒ. ʒ. comp. colocbar.* egregia sunt diuretica. *Spiritus* ☉ *lis* benè rectificatus àque foetore ☿reo liberatus ad ʒʒ. in decenti quantitate potùs de die propinatus & sitim hydropicorum sedat, & aperiendo materiam peccantem per partes ignobiliore educit. *Sal* etiam *bufonum* sive *pulverem bufonum in elibano exsiccatorum* mirificè urinam pellere, notabili experientiâ fidem fecit mulier illa apud *Wierum l. 3. de prestig. demon. c. 35.* quæ marito suo hydropico mortem intentans, sequiori eventu eundem liberavit. Hæc enim cum sumptuum tandem pertæsa esset, veneno illum tollere decreverat: quare bufonis uisti pulverem ægro marito propinat, unde ille copiosum reddit lotium. Hinc de nuò eundem pulverem exhibet, ut citiùs illi ærumnosam sumptuosamque vitam cum præcipiti morte commutaret, sed multò uberiore exoneratâ per vesicam saburrâ aquosâ præter omnem spem restitutus est, quem certò morituum sibi persuaferat Venefica.

Quam pia fata Deum! prodest crudelior uxor:

Et cum fata volunt, bina venena juvant.

Ranarum sal commendatur. *Renerus* apud *Scholz. consil. 131.* valdè commendat *pil. suas de cantharidibus.* *Πόμα ὑδροπι- ὠν*, potionem aquâ subter cutem laboranti concinnabis, scribit *Hipp. l. de vict. nat. in acut. p. m. 79.* καὶ θαρίδας τρεῖς ἀφελὼν τλὼ καὶ ὀλίγῃ ἐκάσῃς, καὶ πόδας καὶ πτερά, τρεῖς ἑν τετρασὶ κυά- ροις ὑδατὸς τὰ σώματα, si *cantharidum trium*, ablato cujusque capite, pedibus & alis, corpora ex tribus cyathis aque contrita exhibueris. Rectè autem censuisse videtur *Job. Langius l. 1. epist. med. 47.* non temerè cantharidibus esse utendum, ut vulgus assiolet. *Lotium pueri impuberis* laudat *Gal. 9. de comp. med. secund. loc. c. 3.* iis præsertim, qui ab eo non abhorrent. Nimiùm videtur tribuere *Mynsichtus suo sir. hydragogo.*

Rectè autem proponit nobis *Christoph à Vega* illud *μηδὲν ἄγαν*, cum *l. 3. art. med. c. 11 p. m. 492.* scribit: nisi quis modicè diure-

diureticis utatur, periculum est, ut possit cohibere urinae fluxionem. Monet ergo: cum urinam profluam videris, non amplius eo utaris.

Per sudorem plurimum etiam evacuatur:

Rx. *ess. ♀. compos. Rolf. 3℔.* Rx. *Δ aurat. antimon. ʒ. v.*
rob. sambuc. 3j. *spir. ligni gvaj. 3j.*
aq. sambuc. 3℔. M.

M. D. S.

D. & S.

Schwitz Essenz.

Durchbringender spiritus.

Gordonius in *lib. med. part. 6. c. 5.* tale instituit sudoriferum: Fiat, scribit, fovea in terrâ, & ponantur in foveâ carbonēs accensi de junipero. Deinde ponatur crater ferreus desuper, & sternantur ebulli multi, & patiens nudus intret ebullōs, & sudet ibidem fortiter. *Vel:* ponatur patiens in sole ventre discooperto, cavendo tamen, ne locus sit ventosus nec frigidus, & fricetur venter fortiter cum manibus, mirabiliter valet: nam calor solis est vivificus, & ego inveni magnum juvamentum.

Rustici solent ingredi furnum calefactum, in quo sudant usque ad animi deliquium, quandoque curantur, quandoque & sæpius suffocantur, & sic à morbo liberantur. vid. *Grafsec. l. de exam. microc. cl. 4. f. 21.*

EXTERNE conveniunt relaxantia ventrem, & subducentia:

Rx. *ung. arthanit. 3vj.* Rx. *ol. camom.*
ol. junip. 3℔. *junip.*
diacolocynth. ʒv. 3 iij. *scorp. ā. 3ij.*
spica 3ij. *fœnic.*
terebinth. 3j. *carui*
c. f. q. ceræ f. unguent. *cumini ā. 3j.*
d. in pyx. ore amplo. M. D. ad fict.

S. Salbe umb den Nabel
und Lenden.

S. Del.

Rx. *ungv. de agripp.* *ol. rutac.*
andernac. ā. 3℔. *scorpion. ā. 3iij.*

M. D. in pyxide S. Salbe.

F 3

Rx. *mad.*

R. rad. ebul.

cucum. asin. ā. 3vj.

b. rut.

absinth.

fol. lauri ā. miß.

fl. chamom. m j.

sem. cumin.

coriandr. ā. 3ß.

△ viv. 3j.

○ 3ß.

scor. ferr. 3j.

stent inf. p. n. manē

coq. in vini rub. chalyb. ℥iij.

ad medietatem

Colatura D. pro fotu

S. Behung.

Vel usurpetur Cataplasma de Cineribus Myns.

Job. Bapt. Montanus consil. 187. limacum carnes cum cochleis contusas & superpositas valde prodesse, educere & exficcare mirabiliter docet. Emplastrum è sterc. bub. & capr. ebullitis in ☿ & lixiv. adjectis △, ○, ⊖, bacc. lauri & ebuli succo cum pice nav. omnibus subactis experiētiā edoctus, ut magnum præsidium cum felici succursu & successu laudat Franc. Valleriola. l. 4. obs. med. 3. p. m. 260. Si segmenta unguium digitorum & pedum umbilico ægri imponantur, miraculosè dicunt aquam expellere, legimus apud Job. Hartmann. præf. chimiatri. p. m. 3.

Nostro seculo inusitata est ψάμμος, quā ægri in arenā Solis radiis expositi sepeliebantur.

Μὴ οὐδέεν ἢ ὡδὰ ἰδιωτέων ἰστέεν, ἢν δὲ δονέξ ζύμψεν ἐκ καίρον ἱεργίης. Neque pigeat ex plebeis sciscitari, si quid ad curandi opportunitatem conferre videatur, scribit Hippocr. l. prenot. p. m. 28. Galenus meminit l. 1. de fac. nat. agricolas in Asiā, cum triticum ex agro in oppidum in carris comportant, ubi suffurari aliquid volunt, nec tamen deprehendi, fistilia quædam aquā impleta in medium triticum condere: id enim in se per fistilia humorem trahere, tum molem sibi pondusque adjicere. Hoc cum pragmatici quidam medici legissent, arbitrati sunt tritico inesse vim attrahendarum aquarum: sic ut si quis hydrope laborantem in tritici acervum defoderet, futurum ut humor universus absumatur, Paræus l. 7. c. 12. Helmontius laudat anguium senectam. Lapis serpentis ventri appressus aquam educit, Hollerius. Lapis in capite rana terre-

terrestris inventus ventri alligatus & ex collo suspensus, *Libav.*
Quidam plantis pedum folia *hyoscyami*, *raphani* supponunt.

BALNEUM ex *lixivio*, *aceto*, *sale*, *Are*, *urticâ*, *fol. lauri*,
calaminthâ, *salviâ*, *origano*, & demum ex calefacientibus &
exsiccantibus herbis, *abrotono*, *absinthio*, *apio*, *sabinâ*, *fl. balaust.*,
chamapityos &c. paratum prodesse consuevit.

ROBORANTIA viscera tam interna quam externa
 non sunt negligenda. *Galenus* enim l. i. de humor. sect. 1. comm.
 12. in med. inquit: cernere est commune medicorum erra-
 tum, quod in plerisque affectionibus plerumque committi-
 tur: nam quod superfluum est, evacuant illi quidem, sed
 tamen, ne ei quod vacuatum est, persimile gignatur, nullo
 modo sibi curandum proponunt.

Rx. pulv. cachect. ʒß. *Rx. mag. ʒ aperient. ʒ ij.*

spec. diarhod. abb. c. m. ʒiij. *D. ad vitr.*

mag. corall. ʒiß. *S.*

M. D. S.

Essenz

Stärck Pulver auf ehliche mahl. Dos. ʒ. xl. in aq. bugloss.

Rx. aq. bord. cum C. C. ʒiij. *Rx. aq. meliss.*

è s. acetos. *scorz.*

ros. ā. ʒiß. *bormag. ā. ʒj.*

sir. rub. id. ʒj. *cinam. ʒß.*

fl. bormag. ʒiß. *conf. alkerm. ʒij.*

c. ʒ de rub. id. q. s. *de byac.*

ad grat. acor. *spec. diamarg. cal. ā. ʒß.*

F. Julepus *M. F. Potio*

S. *S.*

Stärck Julep. *Stärck Tranc.*

Rx. conf. agerat. *spec. diamarg. cal. ʒß.*

cichor. *diacinam.*

fl. tunic. ā. ʒß. *diaxyloal ā. ʒij.*

cond. cort. citr. *ex concis. c. sir. corall.*

aurant. *f. Electuar. S.*

rad. pimpinel. ā. ʒiij. *Stärck Zucker.*

Rx. empl.

℞. empl. de bacc. laur. ʒij.

spec. diagalang.

diacinam. ā. ʒ℞.

sem dauc. ʒj.

ol. de capp.

nardin. ā. ʒ℞.

F. s. a. Emplastrum.

ducatur in aluta & in sacco.

ex syndone rubro inter-
futo imponatur.

℞. aq. agrimon.

absinth. ā. ℞℞.

spec. aromat. ros.

dialacc.

diacurcum. ā. ʒj.

M.

D. in vitro

S.

Wasser in seinen Tüchern
umbzuschlagen.

Sed quia medicus alium videt morbi typum in lecto, alium in libro, omnia hæc medicamenta, & alia, quorum formulas tradunt Practici, ejus sapienti σοχασμῶ relinquenda sunt & dijudicanda, quæ nempe videbuntur individuo suo apta, necessaria, congrua, accepta & grata, cum non tantum ordinanda sunt & propinanda remedia salutaria quod morbum attinet; sed etiam quæ ægrotis sunt grata & minimè molesta: talia etiam, quæ facile possunt haberi; ne accidat ei, quod Venetiis cuidam medico, hydropico urinam camelorum, quam ex Indiâ afferri oporteret, præscribenti, accidisse refert *Montanus in consil.* qui ab omnibus irridebatur. Summa: μηδὲν ὑπερβαῖν, μηδὲν εἰκῆ.

Pergimus ad

CAPUT XII,

quod

Diatam docet.

Ἡ διαίτη καὶ πρώτη καὶ κυριωτάτην ἔχει τὴν θεραπείαν ὅτι πάντων μάλιστα τῶν παθῶν, ἔχῃ καὶ ὅτι τῶν κινδυνωτάτων, ὧν εἰσὶ καὶ οἱ ὕδρεσι. *Victus ratio* & primas & supremas curationis partes in omnibus potissimum affectibus, maximè verò etiam in periculosis obtinet, in quorum numero aqua inter cutem quoque habetur, *Trallian. l. 9. c. 3. pag. 522.* Omnia enim medicamenta frustra usurpantur, nisi diætæ ineatur ratio. Observe-
tur itaque in

NATU.

NATURALI victus ratio. Victus attenuans in hac ægritudine propulsandâ primas tenet, sine quo nullus alius morbus frigidus & humidus, nec hydrops rectè curari possunt, docuit nos *Galenus l. de atten. vict. mt. c. 1.* Fugiat æger cibos crassos & vitiosi succi, & sumat λεπτόνους. A jurulentis, humidis abstinendum. Panis plurimum sit fermentatus & pulcherrimè subactus, inque clibano igne moderato assatus, vel etiam διπυρίτης, ἔχων τῶν ἀφύσων πέρματα, continens semina flatibus discutiendis apta. θερμὸς ὁ ἄρτος ἐξ οἴνου μέλαινου καὶ ἐλαίου δ' ποταμίου ἐδίετω, Panes autem calidos vino nigro & oleo intinctos edat. *Hipp. l. de rat. vict. in ac. p. 75.* Carnes sint aviculæ parvæ assæ potius quàm elixæ, turdi, turtures, columbarum pulli &c. κρέα ὕεια σαρκώδεα μὲν ὅξος ἐφ' ἡνί, suillâ ex aceto coctâ. *Hipp. l. c.* Pisces πετραιῖς saxatiles comedat. Hydropici quàm minimum bibant, *Hipp. l. de vict. rat. in morb. acut. p. m. 75. & l. 5. epid. t. 69.* quo vita saltim sustinetur *Celsus l. 1. c. 21.* cum quidam à potu abstinentes ab hydropo liberati sint. *Benivenius de abdit. sanat. & morb. caus. c. 13.* refert, se rustico cuidam hydropico consulenti respondisse, sanari eum non posse, cum morbus jam inveteratus esset, nisi ultrà non bibat, quàm ut vitam sustineat. Rusticum dicto obtemperasse, & per annum nihil bibisse ac sanatum fuisse. Novî ego, scribit *Vict. Trincavellius l. 3. consil. 32. p. m. 403* non postremi nominis medicum Hispanum publicè Bononiæ profitentem, qui solo esu assorum alimentorum & abstinentiâ potius omnis per quadraginta dies continuatâ sanatus est, absque ullo prorsus medicamento. *Vid. & Hildanus cent. 4. obs. chirurg. p. 316. & Zacut. Lusit. p. 407.* Acetum aquâ chalybeatâ dilutum solâ oris ablutione sitim franget. Vel assumptus ser. acetosus. Vel decoctum glycyrrhizæ.

VITALIS svadet AEREM purum calidum & siccum. ἤν μετ' αὐτὴν σύμφορον ὅτι τοῖσι μακροῖσι νοσήμασιν, inquit *Galen. 6. epid. comm. 5. t. 19.* ANIMI PATHEMATA mediocritatis non transfiliant terminos; mœrores jucundâ conversatione pellantur: lætandum; lætitia siquidem exsiccat & calorem internum auget.

ANIMALIS ratione, ὑπὸ δὲ ἡγῆ, SOMNUS auxilio est; intra limites tamen continendus. Lectus sit non admodum mollis, scribit *Trincavell. l. c.* & si fieri potest, ut ex herbis exsiccantibus conficerentur lecti, puta ex pulegio, calamentho, urticâ, origano, hyssopo & similibus, incredibile dictu, quantopere prodest per somnum. Tanta vis est in exsiccantibus herbis medicamentisve. Decubitus sit capite elatiore. ὑδρωπιώδεα, inquit *Cous 5. epid. t. 69. edit. Fæf.* δεὸν τάλαιπωρέειν, ἰδεῖν, aqua inter cutem laboranti utile est corpus laboribus exercere, sudores movere. ἡ γὰρ τάλαιπωρή ἀπάγει τὴν ἐκμάδην, Vehemens enim exercitatio nonnihil humoris deducit *l. 1. de morb. mul. p. m. 153. & Trallianus p. 524. κίνησις, εἰπὲρ ἢ ἄλλο, τοῖς ὑδρωπῶσι συμβάλλεται, motus, si quid aliud, hydropicis conducit.* ALVUS semper retineatur lubrica. VENUS, licet exsiccet; tamen quia calidum innatum debilitat, fugienda, & oportet interdum Scythas imitari ac ἀνανδρείῳ κατὰ γινώσκειν, ignaviam accusare aut mentiri. *Hipp. l. de aëre loc. 5 aq. p. m. 76.*

His ita ex triplici fonte observatis fine suo non frustrabitur medicus, si potissimum crebris gemitibus intermisceatur præstantissimum in omnibus adversi ἀλεξιφάρμακον, quod est seria & ardens precatio: nam

*Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,
quid rogo Dictamnus, quid Panacæa juvent?*

Hæc sunt quæ de Ascite proferre, & eruditis offerre volui & valui. Non me latet neminem mortalium esse, quem non aliqua pars ignorantia attingat, hanc contagem ex ipsa mortalitate nos traxisse. Quare, quæ forsan ex imbecillitate iudicii sunt commissa, candidus & benevolus lector in meliorem interpretetur partem, & meminerit in re difficili, non qui ad unguem satisfecerit, sed, qui voluerit, satis cumulatè fecisse.

CLARISSIME JACOBI.

Elicitatis fastigium ,
ac bonorum omnium
complementum olim
habebatur , olympiorum vi-
ctorem in totius Græciæ con-
ventu pronunciari. Votorum
horum summa impetrabatur
corporis exercitatione, mem-
brorum agilitate, & virium ro-
bore. Alia mens venerando
Domino Parenti. Hic docili
informandæ adolescentiæ ad-
dicens primos juventutis an-
nos, optimè apud animum ex-
pendit suum, illud Senecæ libro
de tranquillitate animæ cap. 3.

Non

Non is solus Reipublicæ prod-
est, qui candidatos extrahit, &
tuetur reos, & de pace belloque
censet, sed qui juventutem ex-
hortatur, qui in tantâ bono-
rum præceptorum inopiâ vir-
tute instruit animos, & in pri-
vato publicum negotium agit.
Bellorum verò iniquitate aliò
migrare jussus, novis ministe-
riis addictus, sacræ ædis curan-
dæ officium gerens, integrita-
te vitæ omnibus se commen-
dabilem reddit. Alia etiam Tri-
bunus: abjectâ corporis curâ
ceu ignobili, animi culturæ à
teneris incumbis totus, in no-
bili

bili disciplinarum palæstrâ, &
medicis hortis amœnissimis
decerpis flores magno in praxi
usui aliquando futuros, micro-
cosmi curam habes sedulò, qui-
busque ille sublevari possit
subsidiis, triplici perlustrato
regno, indagas continuò. In
sapientiæ & prudentiæ medi-
cæ investigatione votorum ti-
bi stat summa. Ad hanc lauda-
bili contentione anhelas. Non
deerit successus faustus & au-
spicatus. De intercute sitiente
morbo plenæ theoreticis &
practicis apicibus theses de-
fendendæ nunc sunt. In con-

fictu hoc boni militis officio
fungere, pro veritate dimicans
& famæ celebritate. Expectat
te Musarum & Apollinis miti-
bus & pacatis studiis sacra Lau-
rus, doctarum frontium pecu-
liaris, triumphii innoxii comes,
omnibus civicis præferendi,
quippe non unum civem, sed
infinitos morborum mole
pressos servandi artem didici-
sti. Dabam in Athenæo Salano
pridie Non. Junii, Anno
cIo lcc LXXII.

Guernerus Rolfincius,

Phil. & Med. D. Prof. Publ.

SOL pluvias campos per dentes lumine siccant.
Tu quoque consiliis faustè, perdocte JACOBI,
discute per dentes lymphas tot viscera nobis.
Hoc præsta, atque olim Meditrinæ Sol eris orbi.

Hoc gratulabundus
precatur

Gothofredus Mœbius D.

P.P. Med. Elect. Brand. & Adm. Archi-
Episc. Magdeburg.

Ad Nobilem & Experientissimum,

DN. JOHANNEM JACOBI,

Med. Doctorandum Clarissimum,

Amicum perdilectum.

A Scitem sitis atque tumor comitantur, utroque
apparente ingens fertur adesse malum:

Nonne sitis, tumida atque mihi præcordia mon-
stras,

quæ labor & studium progenuere diu?

Non fastum, speciem cupidæ nec mentis hono-
rum

designant. Ingens Fama secunda bonum est.

f.

Joh. Theodorus Schenck

Med. D. Prof. Publ.

Qui

Qui manè, JACOBI, atque vesp̄eri impiger
Coi senis magnique Galeni libros
volvis, revolvīs, ac Salanæ ab auribus
Asclepiorum bares, eris frustrà haut. Brevi
industriam pensabit amplum præmium,
Laurus perennè florida & laudis decus.

Clariss. Dn. Candidato,
amico suo ac civi singulariter habendo,
bonæ scævæ ergo fundeb.

en τὸ μαγνητικόν

Philippus Horst P. P. Facult.
Philos. & Academ. totius Senior.

Præclaris Studiis præclara brabèa feruntur:
Hoc docet exemplum, Clare JACOBÈ, Tuum.
PHOEBUS Apollineâ Tua cingit tempora lauru,
Atque, TUUM HÆC STUDIUM PRÆMIA PO-
SCIT, ait.
Maçte bono tanto! Te præmia plura sequentur:
Mox etenim publico munere clarus eris.

Ita

*Clarissimo Domino Doctorando,
Commensali bonoratissimo,
ominatur*

Casparus Posner,
Phys. Prof. Publ. Ordin.